P. Theodoric Kennel, O.fm.

NOVUM COMMENTARIUM

IN PSALMOS

MERE MESSIANICOS

CUM DUOBUS PSALMIS INTRODUCTORIIS

Nihil obstat.

Einsidlae, die 16 Sept. 1909.

P. Meinradus Benz O. S. B.,
Libr. cens.

Imprimatur.

Parisiis, die 14ª Octobris 1910.

H. Odelin.
v. g.

MACON, PROTAT FRÈRES, IMPRIMEURS

NOVUM COMMENTARIUM

IN PSALMOS

MERE MESSIANICOS

CUM DUOBUS PSALMIS INTRODUCTORIIS

WITHDRAWN

Auctore DR. FR. SALESIO TIEFENTHAL

EX HELVETIÆ MONASTERIO EINSIEDELN.

Ἐρευνᾶτε τὰς γραφάς.
Verba Christi apud Ioan. 5, 39.
Βίβλος ψαλμῶν
occurrit in ore Christi apud Luc. 20, 42 et in ore S. Petri in Act. 1, 20.
Pro iis « qui Psalterii aliquid indigent ». S. Reg. c. 8.
Mande favum verborum. St. Anselm.

P. Theodorico Kernel O.S.B.

PARISIIS

SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS

10, VIA DICTA « CASSETTE », 10

1912

CONSPECTUS TOTIUS OPUSCULI

Dedicatio VII
Psalmi in hoc opusculo tractati ordine alphabetico prout in Vulgata incipiunt digesti IX
Generalia quaedam X
De divisione psalmorum XIII

PSALMI MERE MESSIANICI CUM DUOBUS PSALMIS INTRODUCTORIIS 1

Psalmi 95 et 19 introductio in universum psalterium ... 1
In psalmum 95 1
In psalmum 19 9

PSALMI MESSIANICI 25

Psalmi mere messianici 26
Orationes Christi in psalterio 26
1. Ps. 40 Oratio Christi intrantis in hunc mundum 27
2. Ps. 35 Oratio Christi coram tribunalibus accusati 44
3. Ps. 41 Oratio Christi crucifixi beatum dicentis quemvis meditationi passionis suae deditum. Aliter psalmus Stabat Mater 56
4. Ps. 109 Evolutio primi verbi Christi in cruce 65
5. Ps. 69 Evolutio quinti verbi Christi in cruce 81
6. Ps. 22 Oratio Christi crucifixi morti proximi 99
7. Ps. 16 Oratio Christi crucifixi statim ut exspiravit in cruce 121
8. Ps. 17 Oratio Christi iacentis in sepulchro 133
9. Ps. 108 Oratio Christi resuscitati pro liberatione dilectorum suorum 145

Cantica mere messianica de Christo in psalterio 152
1. Ps. 8 Canticum in noctem nativitatis Domini 153
2. Ps. 2 Canticum in resurrectionem Domini 161
3. Ps. 110 Canticum in ascensionem Domini 172
4. Ps. 111 Cantic. de Regno messianico 188
5. Ps. 112 Cantic. de ortu Christi, eius regimine in Ecclesia et victoria finali 195
6. Ps. 113 Cantic. de elevatione generis humani per incarnationem 203
7. Ps. 45 Cantic. de nuptiis Messiae cum gentibus per synagogam peragendis 208
8. Ps. 87 Cantic. de Sione Matre omnium populorum 225
9. Ps. 72 Cantic. de Salomone divino 231
10. Ps. 117 Cantic. ob conversos populos 242
11. Ps. 20 Cantic. precatorium ad Cor Iesu 244
12. Ps. 21 Cantic. de Messia rege 252
13. Ps. 23 Cantic. in Messiam pastorem 259
Corrigenda 269

REVERENDISSIMO DOMINO DOMINO

DR. THOMÆ BOSSART O. S. B.

ABBATI MONASTERII B. M. V. EINSIEDELNENSIS

HOC OPUSCULUM D. D. D.

AUCTOR.

INDEX ALPHABETICUS PSALMORUM IN HOC OPUSCULO TRACTATORUM PROUT INCIPIUNT IN VULGATA.

Beatus qui intelligit 56
Beatus vir qui timet Dominum 195
Coeli enarrant gloriam Dei 9
Confitebor tibi, Domine ... in concilio 188
Conserva me, Domine 121
Deus, Deus meus, respice in me 99
Deus, iudicium tuum regi da 231
Deus, laudem meam ne tacueris 65
Dixit Dominus Domino meo 172
Domine, Dominus noster 153
Domine, in virtute tua laetabitur rex 252
Dominus regit me 259
Eructavit cor meum verbum bonum 208
Exaudiat te Dominus in die tribulationis 244
Exaudi, Domine, iustitiam meam 133
Exspectans exspectavi Dominum 27
Fundamenta eius in montibus sanctis 225
Iudica, Domine, nocentes me 44
Laudate Dominum, omnes gentes 242
Laudate pueri Dominum 203
Paratum cor meum, Deus 145
Quare fremuerunt gentes 161
Salvum me fac, Deus 81
Venite, exultemus Domino 1

GENERALIA QUAEDAM

Variis annis impediti sumus, quominus commentaria nostra in sacros libros publici iuris faceremus. Quod nunc sustentati benevolentia Domini nostri Abbatis iterum facere incipimus. Et quidem exordimur a psalmis, memores verborum S. P. N. Benedicti : *Qui psalterii aliquid indigent* — meditationi id est studio impendant tempus post vigilias nocturnas usque ad matutinos. Quis enim nostrum non tenetur percutere sibi pectus dicens : Non tantum aliquid, sed multum psalterii indigeo. — Item memores verborum *Pii X* in Brevi de 27 Martii 1906, quo ordinat, ut clerici in seminariis Italiae per quatuor annos studio exegeseos sacrarum literarum incumbant : « Praesertim curabit (professor sacrae exegeseos), ut in alumnis *intelligentiam et studium psalmorum*, quos divino officio quotidie recitaturi sunt, *excitet.* » — Addimus verba Nicetae in praefatione ad explanationem in psalmos S. Cyrilli Alex. : « Iam tempus est ut *opiparam* ipsam *mensam*, quam divus *David* praeclaris convivis praeparavit exhibeamus. » Migne P. gr. 69, 714. Porro etiam audiamus *Leonem XIII* dicentem : « *Nobilissimum hoc sacrarum Litterarum studium* excitare et commendare, atque etiam *ad temporum necessitates congruentius dirigere* iamdiu apud nos cogitamus. » En. de s. scrip. ed. Herd. g. l. p. 9. Denique quanta laetitia nos afficere deberet *cognitio hebraicae veritatis*, concludamus e sequente exclamatione *S. Hieronymi*. Cum Sunias et Fretela, duo viri e gente Getarum, data « schedula » ad S. Hieronymum ab eo scire desiderassent, « ubicunque inter Latinos Graecosque contentio est, quid magis Hebraeis conveniat », S. Doctor respondens inter alia stupens et gaudiosus exclamavit : « Quis hoc crederet, *ut barbara Getarum lingua hebraicam quaereret veritatem*, et dormientibus, imo contemnentibus Graecis, ipsa Germania Spiritus Sancti eloquia scrutaretur. » M. S. l. 22, 837. — *De fine morali psalmorum* ita habet Walafridus Strabus : « Omnis scriptura divinitus inspirata Veteris ac Novi Testamenti ad imitationem Mediatoris Dei et hominum, hominis Christi Iesu, fideles invitat,

ut per imitationem ad similitudinem eius pervenire mereamur. » M. P. l. 114, 752. — Denique de occupatione Monachorum sic loquitur Rupertus Tuitiensis : « Bonum quidem monachis est operando manibus otiositatem effugere, quae inimica est animae ; optimum autem est otiositatem effugere, et nihilominus cum verbo Dei, sancto otio sabbatizare ! » M. S. l. 170, 515. — De *praestantia psalterii*, libri incomparabilis precum et cantus, cordis s. scripturae, verba facere superfluum duco. — Attamen audiamus Anselmum dicentem : « Mande favum verborum, suge plus quam mellitum saporem, gluti salubrem dulcorem, mande cogitando, suge intelligendo, gluti amando et gaudendo ; laetare mandendo, gratulare sugendo, iucundare glutiendo. » Med. c. 1.

Praestantia psalmorum praecipue a Spiritu Sancto provenit, qui eos inspiravit, sed etiam a viris, qui eos composuerunt. Inter quos eminet *David*, rex et propheta et typus Christi. Sic habet de Davide Iesus Sirach secundum Peters :

> In omni corde suo dilexit eum qui fecit illum,
> Et omni die laudavit in psalmis.
> Fides ad cantum contra altare instituit,
> Et vocem psalmorum et psalteriorum ordinavit ;
> Dedit celebrationibus decus,
> Et ornavit festa gyri anni.
> Si laudant nomen sanctum eius,
> Ante matutinum resonat sanctuarium.
>
> Sir. 47, 8-10.

Sic etiam loquitur David ipse de se in testamento suo prophetico : David filius Isai, vir (a Deo) exaltatus, David Unctus Dei Jacob, *David delectabilis psalmis populo Israelitico : « Spiritus Domini locutus est per me et sermo eius est super linguam meam. Dicit Deus Israel, ad me loquitur Petra Israelis : Dominator super homines* (exurget), *iustus, dominator in timore Dei. Et sicut lux aurorae, oriente sole, aurora sine nubibus : splendore post pluviam* (germinat) *herba e terra.* » II Sam. 23, 1-4. Habemus hic praeclarum testimonium ; quo dicitur : 1) Davidem fuisse psalmistam, et quidem, 2) psalmistam inspiratum, et 3) illum praedixisse adventum Messiae. — Item inter proposita quotidiana Davidis in ps. 101 (100) enunciata primum est hoc : « Misericordiam (gratiam) et iudicium *cantabo* : tibi, Iehova, *psallam : odam faciam* de via immaculatorum. » — *Denique ut inspiratum, psalmistam et prophetam celebrant*

Davidem S. Petrus in Act. 2, 30 *et Christus ipse* in Matth. 22, 42-45. Marc. 12, 35-37. Luc. 20, 41-44. A tanto viro iure merito pulcherrima carmina exspectare possumus.

DE DIVISIONE PSALMORUM

Vulgata imitans LXX interpretes, nullam indicat divisionem libri psalmorum, Biblia autem hebraica eos in quinque distinguit libros 1-41, 42-72, 73-89, 90-106, 107-150. Sed cum haec divisio nullum exhibeat conspectum psalmorum, certo bonum est docendi et discendi causa aliam facere. Non inepta quidem videri posset ea secundum auctores psalmorum. Sed cum catholicus potius attendat ad argumentum quam ad auctorem psalmi, et imprimis cordi habeat psalmos messianicos, nos optimum ducimus, universos psalmos in messianicos et promiscuos dividere. Hoc opusculo tantum psalmos mere messianicos cum duobus psalmis introductoriis edimus, reservantes alios melioribus temporibus.

PSALMI MERE MESSIANICI

CUM DUOBUS PSALMIS INTRODUCTORIIS

PSALMI 95 ET 19

INTRODUCTIO IN UNIVERSUM PSALTERIUM. IN PSALMUM 95 (94).

Ἐγώ εἰμι ὁ ποιμὴν ὁ καλός.
Ioan. 10, 11.

Convenientissime exordium sumit liber laudum סֵפֶר תְּהִלִּים ab invitatione vel exhortatione ad laudes. Antiquum nomen pro psalmis est תְּהִלִּים vel etiam הַלִּים, pro quo antiquitus etiam obveniunt שִׁירִים et זְמִרִים. Post exilium psalmi etiam vocabantur תְּפִלּוֹת orationes, et quidem recte, quia psalmi vel hymni orationes sunt in veste poëtica.

Caret hic psalmus quavis inscriptione in hebraico, LXX autem habent Αἶνος ᾠδῆς τῷ Δαυίδ, et secundum hoc Vulgata : Laus cantici ipsi David. Etiam S. Paulus alludens Hebr. 4, 7 ad versum 7 huius psalmi, dicit, eum esse ἐν Δαυίδ. Composuit forsitan David hunc psalmum post translatam arcam foederis in montem Sion c. a. 1040 ante Chr. n., *quo invitat ad adorandum Deum Petram et Creatorem et Pastorem populi sui et ei obediendum.* Conveniens est invitatorium in officio matutino. *Tribus constat strophis : Invitatione, Confirmatione, Contestatione.* — Primo ponimus locos discrepantes, in quibus scilicet textus latinus Vulgatae differt a textu hebraico, tum commentarium continuum.

I

Absurdum est dicere, versionem quamvis praeferendam esse textui originali. Sunt qui putant, textum hebraicum falsatum esse a Judaeis. Audiamus iudicium D. Danielis Haneberg de annotationibus masorethicis : « So wenig, ait, unmittelbare Brauchbarkeit für Kritik u. Exegese diese scheinbar grillenhaften Bemerkungen haben *u. so sehr sie aussehen wie das Geldzählen und Dukatenwaschen eines wahnsinnig gewordenen Bankiers, so zeugen sie doch dafür, dass Israel seit der Zeit der Soferim den redlichen Willen gehabt habe, die hebräischen Urkunden treu zu überliefern* » etc. Latine : Quamvis parum immediatum usum pro critica et exegesi hae, ut videntur, morosae adnotationes habeant, *et quamvis similes appareant numerationi pecuniarum et lotioni ducatarum factae a numulario insensato, tamen attestantur, populum Israeliticum a tempore scribarum sinceram voluntatem habuisse, fideliter tradendi documenta hebraica* etc. Einltg. ins alt. T. Regensb. 1845 S. 306-307.

Sunt in hoc psalmo sequentes loci discrepantes :

V. 1° לְצוּר יִשְׁעֵנוּ non est : salutari nostro, sed : Petrae salutis nostrae.

V. 2° abundat et.

V. 4us in cuius manu sunt ima terrae (בְּיָדוֹ חֲקְרֵי־אָרֶץ) et cui sunt apices montium (תּוֹעֲפוֹת הָרִים).

V. 5us Cui est mare, nam ipse fecit illud, et aridam vel siccam manus eius formaverunt.

V. 6us Venite, inclinemur et genua curvemus, in genua cadamus (Chron. 6, 13) coram Iehova, factore nostro. נִשְׁתַּחֲוֶה fut. hithp. plur. a שָׁחָה, quamvis alias ordinarie adorationem per prostrationem significet, hic certo tantum adorationem per capitis inclinationem exprimit, cum duo sequentia verba sint gradatio huiusce. נִכְרָעָה fut. k. cohort. (forma in pausa) a כָּרַע videtur significare adorationem per curvationem genu. נִבְרְכָה fut. plur. k. (cohort. a בָּרַךְ indicat adorationem per casum in genua). Interpres pro נִבְרְכָה aliquam formam a בָּכָה legisse videtur, quia habet κλαυσωμεν et ploremus. St. Hieron. habet flectamus genua, Pagnini genu flectamus. Abundat et ante hoc verbum. עֹשֵׂנוּ part. k. ab עָשָׂה cum suffix. 1 p. plur.

V. 7° abundat Dominus. — צֹאן potius est grex quam oves. — Finis versus pro se sumatur : Hodie utinam vocem eius auscultaretis !

Cfr. 81, 9. Prov. 4, 1. Vulgata trahit hunc finem ad v. 8um. Pagnini nectens hunc finem cum hoc versu, vertit : hodie si vocem eius audieritis. Mabire : Oh ! si vous entendiez aujourd'hui sa voix ! תִּשְׁמְעוּ fut. k. (forma in pausa) a שָׁמַע auscultare.

V. 8. Nolite obdurare cor vestrum sicut apud Meriba, sicut in die Massae in deserto. Cfr. Exod. 17, 1-7 et Num. 20, 2-13. תַּקְשׁוּ fut. hiph. a קָשָׁה k. durum esse, h. obdurare. — כִּמְרִיבָה non est : sicut in exacerbatione vel irritatione sed : sicut apud Meriba, locum, ubi tentaverunt Israelitae Moysen ob sitim Exod. 17, 1-7. — Item מַסָּה hic non est : tentationis, sed designat eumdem locum ac Meriba Exod. 17, 7, cum allusione tamen ad magnam tentationem, qua totus populus Israel tentavit Moysen et Aaronem post reditum exploratorum e terra promissa, ita ut eos lapidare vellet, et hac de causa condemnatus sit errare per desertum per quadraginta annos Num. 14, 1-38. Pagnini sic habet : Ne obduretis cor vestrum sicut in Meriba, sicut in die Massa in deserto. Italus : Non indurate il vostro cuore, come in Meriba, come al giorno di Massa nel deserto.

V. 9° גַּם non est : et, sed : quamquam, etsi (ut Isai. 49, 15), quamquam scil. vidissent opera mea in Aegypto et in deserto, et nossent potentiam meam et scirent, me non permittere ut ipsi fame vel siti morerentur. פֹּעַל est opus liberationis. נִסּוּנִי pr. Piel a נָסָה tentare. בְּחָנוּנִי pr. plur. k. cum suffixo 1 p. sing. a בָּחַן probare.

V. 10us. Quadraginta annis fastidio habui generationem illam et dixi : Populus sunt errabundi animo. Interpres pro אָקוּט fut. h. a קוּט fastidire, fastidio habere, aliquam formam ab אָצַל legisse videtur, quia vertit proximus fui. Attamen LXX et Vulg. habent προσώχθισα et offensus fui, S. Hier., Aquila et Sym. : displicuit mihi, Delitzsch : hatte ich Verdruss. — תֹּעֵי part. plur. stat. con. k. a תָּעָה errare, aberrare.

V. 11. אֲשֶׁר initii non est : quibus, ut habet Breviar., sed : ita ut vel similiter. LXX habent ὡς, vulg. ut, Delitzsch so dass. — אִם in iuramentis negat, אִם לֹא affirmat. Videas Nägelsbach, Gram. Leipzig 1862 pag. 215.

Quibus absolutis, aggrediamur Commentarium.

II

Prima stropha : Invitatio.

V. 1. Agite ! exultemus Iehovae,
Jubilemus Petrae [1] salutis nostrae !
V. 2. Eamus ante faciem [2] eius cum gratiarum actione,
Cum canticis iubilemus ei !

V. 1. לְכוּ non est δεῦτε, venite, sed ut imp. k. a הָלַךְ proprie : ite, sed hic ut saepe adhibitum est ut interiectio : agite, auf, wohlan. Etiam venite Vulgatae sic accipiatur. — נְרַנְּנָה fut. hiph. cohort. a רָנַן exultare. — נָרִיעָה fut. hiph. cohort. a רוּעַ proprie clamorem edere, tum iubilare. — Vocatur Deus Petra salutis, ut 89, 27, cfr. 94, 22, 19, 15, quia ei certissime fidi potest. Forsitan alludens ad hanc designationem Dei dixit Christus de viro sapiente Matth. 7, 24, eum aedificare domum suam supra petram. Bene etiam dicitur germanice : Wer Gott vestraut, hat gut gebaut. S. Hier. vertit : Venite, laudemus Dominum, iubilemus Petrae *Iesu nostro*. Dolendum est quod alii Patres, non cognoscentes hebraicum, non animadverterunt tot allusiones ad dulcissimum nomen Salvatoris, latentes in textu hebraico. Recte scripsit S. Bruno Astensis : « Invitat nos propheta, ut conveniamus (secundum latinum), et Domino exultemus, et iubilemus, cantemus, ploremus (secundum latinum), adoremus, et ipsum benedicamus » etc. Max. Bibl.. t. 20, p. 1552. Multi alii psalmi ad laetandum in Deo invitant, ex. c. 33, 81, 100. Recordemur quoque Antiphonae : Laetentur omnes qui sperant in te, Domine, in aeternum exultabunt, et habitabis in eis, et gloriabuntur in te omnes recti corde. — Continuatur invitatio

Versu 2°. קִדְּמָה פָּנָיו coram aliquo apparere. Pro quo non tam clare positum est graece προφθάσωμεν τὸ πρόσωπον et latine praeoccupemus faciem eius. זְמִרוֹת sunt cantica, sicut etiam 119, 54 et alibi, מִזְמוֹר est tantum adhibitum ut terminus technicus. Junius sic habet : Eamus ante faciem eius cum gratiarum actione, cum psalmis clangamus ei. Qua in re praeclarum exemplum nobis est David, de quo optime sic loquitur Imitatio Christi : « Saltavit devotissimus rex David coram Arca Dei totis viribus, recolens beneficia olim indulta Patribus : fecit diversi generis organa, psalmos edidit, et cantari instituit cum

1. 18, 3. Dt. 32, 4.
2. 100, 2.

laetitia, cecinit et ipse frequenter in cithara, Spiritus Sancti afflatus gratia : docuit populum Israel toto corde Deum laudare, et ore consono diebus singulis benedicere et praedicare. Si tanta agebatur tunc devotio, ac divinae laudis exstitit recordatio coram Arca testamenti, quanta nunc mihi et omni populo christiano habenda est reverentia et devotio in praesentia Sacramenti, in sumtione excellentissimi Corporis Christi » l. 4, 1.8. — Tam calidam invitationem sequitur in

Secunda stropha Confirmatio.

V. 3. Nam magnus Deus (El) est Iehova
Et rex magnus super omnes deos [1].
V. 4. In cuius manu sunt ima terrae,
Et eius sunt apices montium.
V. 5. Cui est mare, nam ipse fecit illud,
Et aridam manus eius formaverunt.
V. 6. Venite, inclinemur et genua curvemus
In genua cadamus coram Iehova, factore nostro !
V. 7. Nam ipse est Deus noster [2],
Nos autem populus pascuae eius et grex manus eius.

Duabus de causis ergo Deus laudandus, adorandus et auscultandus est : 1, quia est gubernator et creator mundi. 2, quia est Deus noster.

V. 3. Versus hic valde similis est versui 4° psalmi 94[1], ubi etiam אֱלֹהִים pro falsis diis occurrit sicut hic, et ubi dicuntur אֱלִילִים nihila, ut etiam 97, 7. « Ideo, inquit, ei cantare et iubilare debemus, quoniam ipse est et magnus Deus et magnus Dominus, et Rex magnus super omnes deos... Relinquantur ergo ceteri dii, et ipse solus adoretur, qui maximus et potentissimus est in universa terra. » St. Bruno Ast. ubi supra.

Post « super omnes deos » in Romanis Psalteriis, in S. Augustino, Cassiodoro, manuscriptis S. Germani, et Carnutensi, atque in quibusdam exemplaribus Septuaginta legimus : Quoniam non repellet Dominus plebem suam, quod neque in probatioribus Septuaginta editionibus, neque in S. Hieronymo invenitur. Sic D. Calmet de hac intercalatione. — Dicta verbis authenticis de magnitudine Dei evolvuntur

Versu 4°. Nam gubernatio globi terrestris signum maximae

1. 96, 1 s. 97, 7, 9, 82, 1, 6.
2. 100, 3.

potentiae est. Per ima terrae et apices montium designatur, providentiam divinam ubique se extendere, sicut ipse ubique est 139, 7-10. In Breviario pro : ima terrae legimus fines terrae, et pro : eius sunt apices montium — altitudines montium ipse conspicit. Non omnino accurate Origenes : « Manum hoc loco dicit providentiam Dei. » M. S. gr. 12, 1555. Melius S. Bruno Ast. : « Manus autem Dei eius virtus et potentia intelligitur. » — Continuatur describi argumentum

Versu 5°, ubi Deus dicitur fecisse mare et formasse aridam, sicut narratur in Hexaëmeron. « Et in hoc similiter magnus Dominus esse ostenditur, quod mare et aridam fecisse dicitur. » S. Bruno Ast. S. Augustinus et antiqua Psalteria legunt : et aridam fundaverunt (sed עָשָׂהוּ est fecit illud, scil. mare et יָצְרוּ forma in pausa pro יָצָרוּ est formaverunt, non fundaverunt). Etiam Sap. 11, 18 dicitur manus Dei κτίσασα τὸν κόσμον ἐξ ἀμόρφου ὕλης, pro quo Vulgata male habet : quae creavit orbem terrarum *ex materia invisa*. Vertendum esset : quae formavit mundum ex materia informi. — Quia ergo Jehova tam magnus est et potens, David iterum Israelitas ad eum colendum invitat

Versu 6°. Voce בֹּאוּ imp. h. a בּוֹא David ad elevationem spiritus, ut voce לְכוּ initii, non ad motum pedum exhortatur. Sequentia iam supra exposuimus. Tantum sensu metaphorico adnotavit ad h. l. Origenes : « Ille procidit ante Dominum qui elationem superbiae dereliquit. » M. S. gr. 12, 1555. Melius S. Bruno Ast. : « Iterum nos invitat, ut veniamus, adoremus et ploremus, atque ex toto corde nos humiliemus ante Deum, omnium rerum factorem, et creatorem » etc. Opportune autem adnotavit D. Calmet : « Lacrymae importunae videntur in Cantico laetitiae et gratiarum actionis, ni forte lacrymae fuerint devotionis atque pietatis. » — Novam rationem, cur Israelitae colant Deum, adducit David

Versu 7°. Nam ipse est Deus noster, qui prae omnibus populis nos in populum suum peculiarem elegit, nos autem sumus populus eius et grex manus eius, quem speciali cura regit et pascit doctrina sua. Cfr. 74, 2. 18-23, nomen תּוֹרָה de Pentateucho. Item audiamus S. Paulum dicentem : « Quid ergo amplius Iudaeo est (cum peccaverit sicut ethnicus)? aut quae utilitas circumcisionis (cum nihil faciat ad iustificationem)? *Multum per omnem modum*. Primum quidem, *quia credita sunt illis eloquia Dei*. » Rom. 3, 1-2. Item eos valde exaltat capite 9° ibid. vv. 3-5. — Merito ergo adiungit psalmista contestationem.

Tertia stropha : Contestatio.

Hodie utinam auscultaretis vocem eius [1] !
V. 8 [2]. Nolite obdurare corda vestra sicut apud Meriba,
Sicut in die Massae in deserto,
V. 9. Ubi me tentaverunt patres vestri,
Me probaverunt, quamquam viderent opus meum [3].
V. 10. Quadraginta annis [4] fastidio habui generationem illam
Et dixi : Populus sunt errabundi animo [5] :
Ipsi vero non cognoverunt vias meas,
V. 11. Ita ut iuraverim in ira mea [6] :
Profecto non intrabunt in requiem meam.

Dicit psalmista : Vos, o Iudaei, adhuc semper estis populus pascuae Dei, si tantum mandatis eius obeditis. Eodem sensu dicit Deus : Audi, populo mi, et contestabor te, Israel, o si audieris me. Ps. 81, 9. Item dicit Deus ps. 85, 9 : Profecto loquetur pacem ad populum suum, scilicet ad sanctos suos, si tantum non redeunt ad stultitiam. Cum magno fructu conferretur. Baruch 3, 9-38. Huc quoque facit dictum S. P. N. Benedicti : « Apertis oculis nostris ad deificum lumen, attonitis auribus audiamus, divina quotidie clamans, quid nos admoneat vox dicens : Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra. » In Prologo Reg. — Continuatur contestatio

Versu 8° quem iam supra exposuimus. Optime ad eius argumentum se referens, scripsit S. Fr. Salesius : « Qui Israelitas a terrae promissionis ingressu deterrebant, dicebant, terram illam huiusmodi esse, ut suos ipsa habitatores devoraret... Ad eumdem modum, charissima Philothea, sanctam devotionem pro viribus et quantum potest, mundus denigrat », etc. Phil. c. 2. — Sicut in hoc versu, sic etiam

Versu 9° Sermo est de diffidentia Israelitarum in Deo per quadraginta annos circumductionis in deserto. Huc facit totus psalmus 78, qui inscribi potest : Instructio populi, ne rebellis fiat contra Dominum ad modum patrum suorum a tempore eductionis

1. Vid. Hebr., 3, 7-11.
2. Exod. 17, 7. Nom. 20, 2-5.
3. Exod. 34, 10. Dt. 11, 7.
4. Num. 14, 34.
5. Ier. 5, 23.
6. Num. 14, 21-23. Ps. 106, 26.

ex Aegypto usque ad electionem Davidis. Probaverunt Israelitae Deum in deserto, utrum ipsis dare posset cibum, potum, carnes. De בְּחַנּוּנִי bene adnotavit D. Calmet : « Hebraicum textum ad unguem Vulgata expressit. Probaverunt me, quemadmodum probatur metallum, et aliud quodpiam, cuius pretium intelligere cupimus; scrutari voluerunt, utrum aeque potens essem, ac dicebar; prodigia videre voluerunt, eaque viderunt; eorum cupiditati vilificatus sum ; non abnui memet ad fidei illorum infirmitatem demittere, licet illa iniuriam meae inferret potestati. » — Continuatur idem argumentum

Versu 10°. Quadraginta annis patienter tulit Deus Israelitas in deserto. Et per tam longum tempus non pervenerunt ad notitiam viarum Dei, id est, intentionum Dei de ipsis. Quod tamen iudicium moderandum est, nam si omnino increduli fuissent, nec omnino confisi essent Deo, Deus eos in terram promissam non duxisset et tamen eos in eam duxit, quamvis contrarium dici videatur sequente versu. Audiamus Bossuet dicentem : « Le peuple d'Israël n'était pas plus intelligent ni plus subtil que les autres peuples, qui, s'étant livrés à leurs sens, ne pouvaient concevoir un Dieu invisible. Au contraire, il était grossier et rebelle autant ou plus qu'aucun autre peuple. Mais ce Dieu invisible dans sa nature se rendait tellement sensible par de continuels miracles, et Moïse les inculquait avec tant de force, qu'à la fin ce peuple charnel se laissa toucher de l'idée si pure d'un Dieu qui faisait tout par sa parole, d'un Dieu qui n'était qu'esprit, que raison et intelligence. » Discours s. l. u. 2 P. ch. 3.

V. 11. Vere, dicit Deus iurans, non introibunt in requiem meam (Dt. 12, 9), id est, in terram promissam, terram sanctam, terram tam desideratam, ubi ego habitabo cum populo meo, et quae erit symbolum aeternae beatitudinis Hebr. 4, 3. Qui versus, ut videtur, additus est ad exaggerandam duritiam cordis Israelitarum, nam Deus dictum iuramentum iam secundo anno egressionis emiserat Num. 14, 23. Ps. 106, 25-27, neque postmodum Israelitae se emendarant. Caveamus, ne similes eis evadamus, ne aeternam requiem perdamus. — Contradictio inter duos ultimos versus sic solvatur : Veritas ex historia patebat, et minae generales positae sunt ad exaggerandam paucitatem electorum et ut eas audientes vel legentes caveant, ne incredulitate vel inobedientia in Deum se excludant ab introitu in aeternam requiem. « Quidam enim audientes exacerbaverunt, sed non universi, qui profecti sunt ex Aegypto per

Moysen. Quibus autem infensus est quadraginta annis? nonne illis, qui peccavérunt, quorum cadavera prostrata sunt in deserto? Quibus autem iuravit non introire in requiem ipsius, nisi illis qui increduli fuerunt... Nam si eis Iesus (Iosue) requiem praestitisset, nunquam de alia loqueretur posthac die... Festinemus ergo ingredi in illam requiem. » Hebr. c. 3-4. — Audiamus adhuc nonnulla quae posuit S. Augustinus in fine huius psalmi : « Nemo, ait, dicat in corde suo, verum est quod promittit, falsum est quod minatur. Sicut verum est quod promittit, sic certum est quod minatur... Iuravit ergo illis in ira sua, ne intrent in requiem ipsius, et tamen oportet aliquos intrare in requiem ipsius, non enim nulli debetur requies ipsius. Illis ergo reprobatis, nos intrabimus : quia etsi aliqui ex ramis fracti sunt propter dissimilitudinem et infidelitatem, nos propter fidem et humilitatem inseremur » (at hic non de vocatione gentium sermo est, sicut Rom. c. 11). — Finem imponimus verbis S. Pauli : « Videte, fratres, ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis discedendi a Deo vivo » Hebr. 3, 12. Item petitione in Oration S. Raymundi Nonnati : ut a peccatorum vinculis absoluti, quae tibi sunt placita, liberis mentibus exequamur.

Festum nunc celebre magnaque gaudia
Compellunt animos carmina promere,
Cum Christus solium scandit ad arduum,
Coelorum pius arbiter.

S. Rhaban. M.

IN PSALMUM 19 (18).

Τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ φανερόν
ἐστιν. Rom. 1, 19.

Psalmus hic certo est messianicus ob invocatum Redemptorem in fine. Non autem dici potest mere messianicus, quia duae priores longiores partes non agunt de Messia. Neque dici potest mixtim messianicus, quia nihil continet de historia psalmistae coaeva. Bene autem considerari potest ut symbolico — messianicus, in quantum Sancti Patres totum psalmum de Christo vel de praedicatione evangelica interpretantur, duce S. Paulo, qui v. 5 de praedicatione evangelii exposuit Rom. 10, 18. Sed nos malumus psalmum, prout revera est, ut *canticum de tribus principalibus operibus Dei ad extra, scilicet de creatione, legislatione sinaitica et redemptione, et*

propterea ut aptissimam introductionem totius psalterii accipere.

Ponimus primo locos in quibus textus hebraicus et latinus Vulgatae inter se discrepant, et secundo perpetuum commentarium.

I

Qui proni sunt ad spernendos locos discrepantes audiant S. Hieronymum dicentem : « Sic psallendum est, ut nos interpretati sumus, et tamen *sciendum, quid hebraica veritas habeat*. Hoc enim quod Septuaginta transtulerunt, propter vetustatem in ecclesiis decantandum est, et illud ab eruditis sciendum *propter notitiam scripturarum*. » M. P. l. 22, 853. Sed certe Papa permittere potest, ut quavis lingua officium canonicum valide recitetur [1]. — Loci discrepantes in hoc psalmo sunt sequentes :

Versu 1°. Pro לַמְנַצֵּחַ habent LXX interpretes εἰς τὸ τέλος et Vulgata in finem, quod autem respondet hebraico לָנֶצַח vel לָנֵצַח Isai. 13, 20 et al. Jer. 3, 5. Am. 8, 7. Isai. 34, 10 etc. לַמְנַצֵּחַ quod legendum est ac si scriptum esset לַמְנַצֵּחַ (videsis Nägelsbach, hebr. Gram. Leipzig 1862, pag. 15) est participium Piel a נָצַח supra esse, praesse etc. et occurrit in inscriptione 55 psalmorum et in fine cantici Habacuc 3, 19. Quid in his locis significet, pro certo definiri non potest. Quia pluralis מְנַצְּחִים II Chron. 2, 2 et 34, 13 ad designandos praefectos qui laboribus praeerant occurrit, nostris diebus plerique participium de quo agimus, de praecentore vel praefecto musicae exponunt, qui psalmos hac nota insignitos cum cantoribus exercebant, antequam in templo canerentur, vel etiam in templo eorum cantum dirigebant. Sed non valet hoc de omnibus psalmis? — S. Hieron. illud victorem vertit et de Christo intelligit, qui omnia perducit ad desideratum finem.

Audiamus Eusebium Caesareensem de inscriptione huius psalmi dicentem : « Praesens quoque psalmus cum iis censendus est qui ad bonum finem transmittunt; imo quoque gratiarum actionis inscriptus est (?), canticum iis qui inimicos debellarunt, triumphale dictum (?). Quare secundum Symmachum dicitur, Triumphale canticum Davidis. Sed etiam quia Deo victoriarum auctori consecratur, secundum Aquilam, victoriae largitori modulatio, inscribitur ». M. S. gr. 23, 186. — Idem dicit : « Psalmi itaque,

1. In prima ecclesia in Ierusalem sine dubio psalterium hebraice recitabatur et canebatur. Item tardius in monasteriis quae S. Paula in Bethlehem fundavit.

in finem ipsi David inscripti, finem praedicant ac victoriam *Christi, qui David vocatur*. Vice autem illius, in finem, secundum Aquilam, victoris, dicitur. Is enim cuilibet victo victoriam tribuit. Nam quisquis a Christo vincitur, malitiam vincit, ipsamque de medio tollit, quia subiicitur Christo. Neque enim invitos vincit ille, sed suasione, utpote verbum Dei. Huiusmodi porro hymnos vel psalmos Theodotio, in victoriam, inscripsit ; Symmachus, triumphales. » *Ibid.*, c. 102.

מִזְמוֹר (LXX ψαλμός, Vulg. psalmus) in inscriptione 57 psalmorum occurrit et indicare videtur, psalmos hac nota insignitos esse cantus sublimes et subtiles. Sublimitas psalmi 19[1] patet : subtilitas in eo consistit, ne quis naturalia supernaturalibus praeferat. Sed non sunt omnes psalmi sublimes et subtiles? לְדָוִד septuaginta quatuor psalmi inscripti sunt, et ab hoc sancto rege, vel secundum eius spiritum compositi sunt, cfr. Matth. 22, 43. Marc. 12, 36. Luc. 20, 42. Act. 2, 29-31. Videas supra, p. 2.

V. 2. מְסַפְּרִים quidem et מַגִּיד sunt participia, sed apte indicativis vertuntur.

מַעֲשֵׂה est opus, pro quo Vulg. habet opera.

V. 4. אֹמֶר est loquela, sermo, pro quo Vulg. habet loquelae. — Item pro sequente דְּבָרִים potius ponendum esset verba. — In sequente est בְּלִי cum participio expressio poëtica pro alpha privativo, ergo בְּלִי נִשְׁמָע inaudita vel inaudibilis, scil. vox eorum. Sensus est : Praedicatio cœli et firmamenti, diei et noctis non fit voce humana, et tamen loquela omnibus audibili, verbis cuique intelligibilibus, est quoddam φανερόν Rom. 1, 19.

V. 5. קָוָם a suffixo et קָו esse quidem posset funis, non sonus eorum, ut patet ex Jer. 31, 39, ubi קָו etiam cum יָצָא constructum est. At hic melius cum LXX et Vulgata in sensu sonus accipitur, cum sermo sit de incessabili et universali praeconio diei ac noctis. — Primum porro membrum versus sexti in Vulgata in biblia hebraica ad hunc versum trahitur et vertendum est : Soli (לַשֶּׁמֶשׁ) posuit (Deus) tabernaculum in illis (בָּהֶם), sicut etiam S. Hier. habet. Secundum sensum autem melior est divisio Vulgatae. — Denique notetur, quod וּבִקְצֵה legendum est וּבְקֵצֵה. Videas Nägelsbach ut supra.

V. 7. Item pro מִקְצֵה legatur מִקֵּצֵה, quod non significat a summo, sed a fine, cœlorum scilicet. Recurrit hoc verbum in עַל־קְצוֹתָם, quod

vertatur : usque ad fines eorum. Item תְּקוּפָתוֹ non est occursus, sed circuitus eius.

V. 10. טְהוֹרָה non est sanctus, sed purus. — צָדְקוּ יַחְדָּו non est iustificata in semetipsa, sed iusta simul.

V. 12. נִזְהָר בָּהֶם non est custodit ea, sed talis qui se in eis, vel simpliciter eis, scil. mandatis Dei, illustrari, doceri, moneri patitur.

V. 13. שְׁגִיאוֹת, pro quo Vulgata habet delicta, diversimode verti potest, cum in Terminologia Torae, omnia peccata designet, quae sacrificiis remittebantur, cfr. Lev. 4, 22-27, Koh. 5, 3, quae interdum etiam gravia erant. Vocabulum forsitan optime vertitur peccata in oppositione ad crimina, de quibus in sequente versu sermo est.

V. 14. זְדִים non est alienis (interpres confudit hoc vocabulum cum זָרִים), sed designat in oppositione ad שְׁגִיאוֹת praecedentis versus peccata plena voluntate et de proposito commissa, sive בְּזָדוֹן in superbia, sive בְּיָד רָמָה manu elevata etc., cfr. Exod. 21, 14. Dt. 18, 22, 17, 12, a זוד vel זיד effervescere, ebullire, hi. superbe, de proposito, proterve peccare cfr. Num. 15, 27-31. זְדִים ergo hic peccata mortalia designat, quae nos crimina appellamus, sicut סָטִים 101, 3. Os. 5, 2. Sequens אַל certo non si significat, sed vertatur cum verbis ab eo dependentibus : ne dominentur in me. — רַב in fine versus non est maximo, sed magno.

V. 15. In initio versus nullum adest et in hebraeo. יִהְיוּ־לְרָצוֹן non est : ut complaceant, sed : sint ad beneplacitum. Pro semper nihil adest in hebraeo. צוּרִי non est adiutor meus, sed petra mea.

Ingrediamur nunc in sanctuarium sacri textus.

II

Psalmus hic ergo, ut iam innuimus, celebrat manifestationem Dei in natura, in legislatione sinaitica et in redemptione. Secundum hoc argumentum tres distinguimus psalmi partes. In prima celebrat propheta naturam. In ea tantum semel occurrit nomen Dei אֵל. In secunda, in qua propheta laudibus extollit legem Veteris Testamenti, sexies occurrit nomen Dei יְהוָה [1]. In tertia denique, mole minima, spiritu maxima, obvenit triplex denominatio יְהוָה צוּרִי וְגוֹאֲלִי [2].

1. Numerus sexenarius indicat in hoc casu Vetus T. tendere ad perfectionem.

2. Positio nominis יהוה in tertia parte psalmi addita ad sex positiones secundae partis indicat Novum T. accessisse ad Vetus et illud perfecisse.

Sed cum laude Dei ob operationes eius ad extera etiam coniungamus gratulationem cum eo ob gloriam eius internam.

Pars ergo *prima* psalmi, in qua Deus ob potentiam suam in creaturas אֵל appellatur, exaltat manifestationem gloriae Dei in natura, tribus strophis.

Prima stropha exhibet coelos et firmamentum ut praecones gloriae Dei.

V. 2. Coeli enarrant gloriam Dei (El),
Et opus (accusativ.) manuum eius annuntiat firmamentum.

Quam gloriosus sit Deus, qui ut unicus Omnipotens אֵל dicitur, et quid manus eius fecerint, id est, quid potentia eius, cui nihil impossible est, creaverint, enarrant coeli, id est, spherae illae coelestes, quae oculo hominis infinitae apparent : hoc clare annuntiat firmamentum id est immensum illud super universam terram extensum convexum coelum, cfr. Neh. 9, 6. Iob. 38, 7, quod oculo fornix immensus esse videtur. Sicut opus laudat opificem, sic coeli et firmamentum laudant Deum. Coelorum silentium, aiebat S. I. Chrysostom. hom. 9. ad popul. Antioch., vehementior et clarior vox est quam buccinae clangor; vox haec in oculis nostris, non in auribus clamitat, et magnitudinem illius qui ea condidit eloquentissime celebrat. « Quis a leo vecors est, atque ab omni sensu alienus, ut coelos intuitus, minime fateatur esse Deum, aiebat Cicero (apud Calmet), ac non intelligat, speciosum a Deo ordinem fortuito institui nequaquam potuisse? » « Quid enim potest esse tam apertum, tam con'essum tamque perspicuum, quum oculos in coelum sustuleris et quae sunt infra circaque lustraveris, quam esse aliquod numen praestantissimae mentis, quo omnis natura inspiretur, moveatur, alatur, gubernetur. » Minuc. Felix c. a. 166 in Octavio c. 17. Et quidem continuo annuntiant gloriam Dei, ut dicunt participia מְסַפְּרִים et מַגִּיד (a נָגַד). Aptissime proin Concilium Vaticanum definivit : « Si quis mundum ad Dei gloriam conditum esse negaverit, anathema sit. » De fide c. Canon. I. 5.

Sancti Patres, duce Origine, imo S. Paulo, uti videbimus, totum psalmum de Christo vel de oeconomia salutis interpretantur quippe quorum cor nihil nisi Christum sapiebat et quorum os nihil nisi Christum loquebatur.

In secunda stropha dies et nox ut praecones gloriae Dei celebrantur.

V. 3. Dies diei eructat verbum
Et nox nocti indicat scientiam.

V. 4. Non est loquela et non sunt verba, non est audita eorum vox,

V. 5. (Et tamen) in omnem terram exit sonus eorum, et usque ad finem orbis verba eorum.

V. 3. Successio non interrupta diei ac noctis est praeconium non interruptum gloriae Dei. אֹמֶר (ab אָמַר sonum edere) optime convenit praeconio illi manifestissimo diei et noctis, et הַבִּיעַ scaturire facere aptissima est figura magnae copiae, in qua sicut e fonte vivo et nunquam deficiente testimonium ab uno die ad alterum transit. דַּעַת est scientia de Deo γνωστὸν τοῦ θεοῦ in creaturis deposita, quamvis illis non nota, et חָוָה est verbum proprium, parallelum verbo figurato הַבִּיעַ, attamen poëticum, magis aramaicum quam hebraicum (= הַגִּיד), et commune huic psalmo cum libro Iob, indicans noctem nocti sine interruptione scientiam communicare. Dies eructat verbum diei, quia hic verbum praeteriti continuat, et nox indicat scientiam nocti, quia haec scientiam praeteritae continuat, vel, ut dicit Bossuet : « Dies alternant noctes, eoque omnia tenore procedunt, ut dies diei, et nox insequenti nocti, quid agendum sit indicare videantur perpetua quasi traditione doctrinae. » Quod verbum et quae scientia eiusmodi sunt, ut quamvis non sint loquela et verba humana et eorum vox non audiatur auribus corporis, tamen, ut dicit

Versus 4^us^, ab omnibus audiri et intelligi possint auribus mentis. Optime quoque Euseb. C. adnotavit : « Docet dies, docetque nox eos qui institui praeoptant, quam ineffabilis sapientia, quam incomprehensibilis virtus sit Dei, qui ipsis temporum intervalla dimensus est. Si namque nullus esset qui his tempestatibus spatia et interstitia destinasset, sed temerario et inconsiderato motu atque casu quopiam haec exsisterent ; oporteret sane non aequalibus spatiis dies a saeculo ordinatos fuisse, ac confusa eorum, similiterque noctium tempora, casu ac fortuito revolvi. » Etenim temerario casui finitimus est inconditus rerum status, et fortuitam rem sequitur confusio ; ut vice versa rectum ordinem ratio dirigit, concentumque ac concordiam rerum sapientia administrat. Mutuae sane illorum vicissitudines et concessiones, non modo dies, concedente nocte, prolixiores sunt, modo noctes debitum ac mutuo datum spatium aucta hieme ac tempestate repetunt : haec, inquam, tantum non vociferantur, ac ceu edito clamore sapientissimum illum ab universorum Deo constitutum ordinem depraedicant, hominibus Dei notitiam annuntiant? *Sic vel ipsis gestis operibus dierum noctium-*

que voces iis qui auditu valent inclamant , ut per omnium aures doctrina eorum pervadat. Universus itaque orbis qui ab hominibus incolitur concinnis huiusmodi ac mutuis choreis repletus est ; quare dicitur (vers. 4 et 5) : Non sunt loquelae neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. In omnem terram exivit sonus eorum et in fines orbis terrae verba eorum, videlicet dierum ac noctium, nec non coelorum, qui enarrant gloriam Dei, et firmamenti, quod opera manuum eius annuntiat. » M. S. gr. 23, 190. מִלֵּיהֶם a מִלָּה est poëticum et magis aramaicum quam hebraicum.

Audiamus iterum Euseb. C. quomodo diiudicat *citationem initii versus 5 h. ps. factam per S. Paulum Rom. 10, 18* ad probandum, praedicationem apostolorum exiisse in omnem terram. « Hic porro, inquit, mihi haec contemplanti mirari subit, quo pacto sanctus Apostolus illud : In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum, ad discipulos, evangelistas et apostolos Salvatoris nostri in sua ad Romanos epistola referat. Dum autem apostolicum dictum animo perpenderem, deprehendi *ipsum apposite admodum et opportune huiusmodi accomodationem advexisse* ; non enim ut aliis in locis modo sic effatur, Isaias autem clamat de Israele (Rom. 9, 27) ; modo sic, ut praedixit Isaias (ib. v. 29) ; rursus vero, quemadmodum scriptum est (I. Cor. 1, 31) ; iterumque, dicit enim scriptura (Rom. 10, 11) ; non sic inquam, illud : In omnem terram exivit sonus eorum, cum simili additamento protulit. Nam si quidpiam huiusmodi praemisisset, esset fortasse qui putaret ipsum huic psalmi dicto vim intulisse. At hic simplici modo psalmi sententia usus videtur ; ita ut iure dici possit, *ipsum* opportuna utilique ratione, atque *apposite hoc testimonium adhibuisse.* » M. S. gr. 23, 190-191.

In tertia stropha sol ut praeco gloriae Dei exhibetur.

Soli posuit tabernaculum in eis (coelis).

V. 6. Et ipse (sol) est sicut sponsus procedens de thalamo suo :
Exultat sicut gigas ad currendam viam :

V. 7. A fine coelorum est egressio eius
Et circuitus eius usque ad fines eorum,
Nec est quidquam quod se abscondere possit a calore eius.

Pulchre dicit psalmista, Deum soli posuisse tabernaculum אֹהֶל (Hab. 3, 11 זְבֻל) in coelis (suffix. ergo in בָּהֶם referendum est ad שָׁמַיִם nec bona est versio Vulgatae : in sole posuit tabernaculum suum), ex quo oriens egreditur et in quod occidens regreditur.

Optime Theodoret. Cyrensis : « Haec etiam, inquit, magis dilucide tres interpretes ediderunt : Soli, inquit, posuit tabernaculum in ipsis, videlicet in coelis. Sic enim et *magnus Moses* docuit : Et fecit Deus duo luminaria magna et posuit illa in firmamento coeli, ut lucerent super terram (Gen. 1, 16-17). Hoc ipsum et *divinus David* dixit, quod posuerit soli tabernaculum in coelis, ut ipse super illis vehatur... ab oriente exoritur, et unius diei spatio percurrens, ad occidentem pervenit ». M. S. gr. 80, 994.

V. 6. Idem Theodoretus in eodem loco de sole dicit, Deum ei posuisse tabernaculum in coelis, ut « pulchritudine sponsum imitetur ex thalamo multo cum decore exeuntem, velocitate autem gigantem quemdam magno cum impetu currentem, nulla re obstante, nec impediente quominus ulterius progredi possit ». Lux matutina habet aliquid vegetum, amoenum, iuvenile. Propterea sol oriens comparatur cum sponso, cuius cordis desiderium expletum est, qui quodammodo novam vitam incipit et in cuius vultu iuvenili adhuc gaudium nuptiarum resplendet. Et sicut in ortu sol similis est sponso, sic in cursu similis est heroi (cfr. 18, 34), nam quoties egreditur, vegeta fortitudine lucem effundens et omnia vincens, curriculum perficit. חֻפָּה thalamus nuptialis ut Joël 2, 16 et Isai. 4, 5.

V. 7. « Commode memorat David ordinatum solis cursum et quod e thalamo finium terrae tanquam pulcherrimus sponsus procedat : deinde tanquam a repagulis cursum auspicans, celerem validumque volatum faciat et indefessus decurrat. » St. Cyrill. Alex. 69, 830.

Ab uno fine coelorum, extremo oriente, est exitus, ascensus (ut Os. 6, 3. Contrarium est מְבוֹא introitus = descensus) solis et circuitus eius ad coelorum fines tendit. מִקְצֵה (videas supra) determinat locum unde sol exit, עַד־קְצוֹתָם terminum cursus eius, et תְּקוּפָה (prop. circulus a קוּף vel נָקַף circuivit, circumactus, revolutus est) designat hunc cursum ut semicirculum ab oriente ad occidentem. In hac longa via, quam ut heros emetitur, nihil, sive velit sive nolit, ab effectibus caloris eius intactum remanet. Non est נִסְתָּר absconditum id est quod in abscondito restet a facie caloris eius. חַמָּה est calor חֹם חַמָּה, quod etiam nomen poëticum solis est. — Adnotavit Theodoret. de calore : « Calorem hoc loco pro lumine posuit, maiorem efficaciam demonstrans quam luminis manufacti, ut etiam qui longe absunt, calore frui possint. Nam lumine hominum manu accenso, caloris, nisi appropinquantes, participes esse non possunt.

Sol autem etiam longissime radios emittens, calorem cum lumine impertit. » M. S. gr. 80, 995.

Pro applicatione mystica, de qua inferius agemus, sufficiat hic meminisse, Christum in sacra liturgia passim vocari solem iustitiae.

Transitus a prima ad secundam partem exterius non indicatur, sed intentio prophetae iam exinde patet quod exhinc nomen Dei יהוה pro אל ponit. Verbum naturae praedicat nobis אל, verbum scripturae יהוה, illud Dei potentiam et gloriam, hoc etiam eius consilium et voluntatem. Et Tora etiam sol est pro mundo spirituali, sicut sol pro naturali. Bene S. Cyrill. Alex. : « Non inutile, ait, cordatioribus est naturae spectaculum, quod contemplari volentibus Dei repraesentat gloriam ex creaturarum ornatu et recto ordine dignoscendam, invisibilia enim eius, ex creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur (Rom. 1, 20) ..., nihilominus legis quoque adiutorium suppeditavit, quod errantes revocare posset. *Socorditer ergo scrutanti psalmi verba, non videtur praecedentibus connecti hic de lege et iustificationibus sermo. Attamen multa potius consensio est.* Quod ut hic breviter exponam, *tres sunt*, et quidem divinae omnes *leges : prima naturae* simul et creationis, ob quam duce conscientia et creaturis, officium nostrum intelligimus et creatorem simul agnoscimus ; *secunda lex scripta, per Moysen data ; tertia lex spiritualis et evangelica* », etc. M. S. gr. 69, 830-831. Quae tres leges hoc psalmo celebrantur.

In stropha prima secundae partis, quarta in toto, ponuntur duodecim elogia Torae vel potius verbi Dei, quae non inepte comparantur cum duodecim fructibus ligni vitae (Apoc. 2, 7. 22, 2. 14), et quae proponuntur in versibus caesurarum schemate confectis, nam cor prophetae de sacrae historiae revelatione loquentis, cuius signatura est nomen Iehovae, prae duplici gaudio palpitat.

V. 8. Lex Iehovae immaculata, convertens animam,
Testimonium Iehovae fidele, sapientiam praestans parvulis.
V. 9. Praecepta Iehovae recta, laetificantia cor,
Mandatum Iehovae purum, illuminans oculos.
V. 10. Timor Iehovae sanctus, permanens in aeternum,
Iudicia Iehovae veritas, iusta simul.
Retractemus singula.

V. 8. Proprie תּוֹרָה non significat legem, sed instructionem vel doctrinam, quapropter et de prophetia Isaiae Isai. 1, 10. 8, 16, et in eadem, ubi evangelium Novi Testamenti Isaias prophetizat, ab

eadem de eo usurpatur Isai. 2, 3. Attamen nomine Tora hic venit lex Dei data a Deo populo Israel per manum Moysis, quae facta est norma vitae populi Israel, lex illa non tantum regiae, sed etiam sacerdotalis et propheticae indolis in toto complexu suo, quae non tantum exigit et castigat, sed etiam promittit. Propterea aptissime posuit Malachias in fine prophetiae suae : זִכְרוּ תּוֹרַת מֹשֶׁה עַבְדִּי, 3, 22 (Vulg. 4, 4).

Vocatur lex תְּמִימָה immaculata ut adaequata expressio divinae voluntatis ad sanctificationem hominis tendentis. Cyrill. Alex. pro eo habet inculpata, S. Bruno Ast. irreprehensibilis. S. Paulus ipse vocat legem sanctam Rom. 7, 12 et spiritualem ibid. v. 14. « Ὁ νόμος κυρίου ἄμωμος, τὶ γὰρ ἔχοι τις αὐτοῦ μέμφασθαι » ; Nicephorus Blemmidas M. S. gr. 142, 1412. Quamvis etiam S. Paulus de lege in quantum excitat cupiditatem et non gratiam dat eam frenandi, dicat : « Lex iram operatur ». Rom. 4, 15.

Vocatur *secundo* lex מְשִׁיבַת נָפֶשׁ reducens id est noviter vivificans, recreans animam (cfr. Polel יְשׁוֹבֵב 23, 3), quia abundat verbis et institutis consolatoriis, quae peccatorem erigunt eique animum addunt. Quod praecipue valet in quantum lex gratiam Christi praedicebat et praefigurabat. Quid denique magis consolatorium est quam scire Deum curam agere de hominis bono spirituali et supernaturali? « Quid dulcius nobis hac voce Domini, invitantis nos, fratres charissimi (ut velimus vitam, et cupiamus videre dies bonos)? » S. P. N. Benedict. in Prolog. s. reg.

Tora *tertio* vocatur עֵדוּת, sicut tabulae Decalogi לוּחוֹת הָעֵדוּת vel לֻחֹתַיִם appellantur, a הֵעִיד, quod non tantum de testimonio confirmante, sed etiam admonente et ordinante usurpatur. Testimonium Iehovae est נֶאֱמָנָה confirmatum, non praeteriens, sed se comprobans in omnibus circumstantiis, exaltatum supra omne dubium, fide dignum et se complens in suis promissionibus. Sic ex. g. adimplevit Deus promissionem de adventu Christi, de infallibilitate Ecclesiae usque ad Pium IX, qui eam ut articulum fidei definivit, etc.

Testimonium Domini est *quarto* מַחְכִּימַת פֶּתִי sapientem faciens simplicitatem vel simplicem, proprie apertum, mobilem, facilem ad seducendum [1]. Huic declaratio divinae voluntatis fortitudinem dat

1. Sunt qui παιδίον, lat. putus, putillus, gallice petit, a פֶּתִי (forma in pausa) vel פְּתִי descendere putant.

et securum canonem ad diiudicandos omnes eventus : σοφίζειν αὐτόν II, Tim. 3, 16. « Νήπια δὲ ἡ καθ' ἡλικίαν, ὥσπερ τὸν Δανιὴλ καὶ τοὺς κατ' αὐτὸν, ἡ κατὰ ἀμαθίαν ἀνθρωπίνης σοφίας, ἡ κατὰ ἀκακίαν. » Nicephor. Blammid. 142, 1412.

Quantum reddidit sapientes et fortes doctrina 'catholica' sanctos Athanasium et Eusebium Vercellensem et Hilarium, sanctum Gregorium Nazianzenum, sanctum Cyrillum Alexandrinum, sanctos Flavianum et Leonem I, Magnum, sanctum Sophronium, etc.

V. 9. *Quinto* dicitur de Tora, eam constare praeceptis rectis. Dispescitur Tora in פִּקּוּדִים (pro quo Vulg. habet iustitiae; melius esset praecepta, ut habet S. Hieron.) postulata vel praecepta de hominis officiis, quae sunt יְשָׁרִים recta ut norma normans, quia recta via ad bonum dirigunt, et ut norma normata, quia a recta, totaliter bona voluntate Dei procedunt. Propterea qui ea sequuntur, etiam adversantibus hominibus, plerumque iam in hoc mundo ad bonum perveniunt finem, uti experti sunt beati Cassiodorus, Rhabanus Maurus, Wolfgangus, Silvester II, etc.

Hac de causa recte dicuntur haec praecepta *sexto* מְשַׂמְּחֵי לֵב laetificantia cor, quia homo qui illa sequitur laetam habet conscientiam, se esse in recta via ad ultimum finem consequendum. Imo non raro magnam experiuntur laetitiam, ex. g. S. Scholastica ob obtentam desideratam pluviam, S. Maurus ob extractum Placidum ex aqua, sancti Ioannes Chrysostomus, Anselmus, Thomas Becket revocati ex exilio, etc.

Septimo dicitur Tora mandatum Jehovae purum. מִצְוַת ה' (a צִוָּה statuere) est Jehovae statutum, summa mandatorum eius. « Lucerna est statutum » — dicitur Prov. 6, 23 — « et lex lux. » Sic hic dicitur mandatum בָּרָה purum sicut purus lucis splendor Cant. 6, 10. Revera quantum illuminavit Tora mundum in Vetere, et evangelium in Novo Testamento. « Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent : ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. » Luc. I, 79. « Vos estis lux mundi » Matth. 5, 14.

Octavo. Lux quae in mandato Dei est et ab eo procedit est מְאִירַת עֵינַיִם illuminans oculos, quod non tantum de illuminatione intellectus, sed totius hominis intelligendum est, facit enim hominem spiritualiter sanum, vegetum et laetum, nam obscuratio oculorum est tristitia, moestitia, consilii inopia. Facit huc admonitio salvatoris : « Vide ergo, ne lumen quod in te est, tenebrae sint », id est : ne resistas voci conscientiae. « Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit (si tota vita tua recte dirigitur), *non habens aliquam partem*

tenebrarum (nullis praeiudiciis praeventa), erit lucidum totum (tota recte dirigetur) ; et sicut lucerna fulgoris illuminabit te » (et vita recta afferet tibi lumen coeleste). Luc. 11, 35-36. S. Joannes dicit, Deum esse lucem ; et vult ut Christiani in luce ambulent I. 1, 5.6.2, 8.

V. 10. *Nono* vocatur Tora sanctus timor Jehovae. יִרְאַת ה׳ est in hoc loco timor ille, quem eius revelatio exigit, efficit et sustinet, revelatus modus quo timendus est (34, 12), ergo fere idem ac religio Jehovae (cfr. Prov. 15, 33 cum Dt. 17, 19) ; hic est טְהוֹרָה purus, sicut puro auro simile verbum, a quo docetur 12, 7. Propterea religio catholica emendanda non est, ut putabant haeretici ab Ario usque Döllinger, sed semper eadem permanet, qua de causa vocatur apostolica, id est ea religio quam apostoli habuerunt et Ecclesiae usque ad finem mundi tenendam tradiderunt. Quamvis religio perfici possit, ut probant Concilia et scientia catholica. Patet ex dictis quod dicitur

Decimo de timore Domini vel religione : עֹמֶדֶת לָעַד permanens in aevum in oppositione ad omnes virtutes apparentes, falsos cultus, falsas religiones. « Voilà donc la religion toujours uniforme, ou plutôt toujours la même dès l'origine du monde : on y a toujours le même Dieu comme auteur, et le même Christ comme sauveur du genre humain. Ainsi vous voyez il n'y a rien de plus ancien parmi les hommes que la religion que vous professez, et que ce n'est pas sans raison que vos ancêtres ont mis leur plus grande gloire à en être les protecteurs... Que si l'antiquité de la religion lui donne tant d'autorité, sa suite continuée... malgré tant d'obstacles survenus, fait voir manifestement, que la main de Dieu la soutient. » Bossuet, Disc. s. l. u. 2. p. ch. 1.

Undecimo vocatur Tora מִשְׁפְּטֵי ה׳ iudicia Dei, quo venit omne illud quod secundum Dei iudicium rectum est et ius existendi habet, iura legis ut corpus iuris divini ; haec sunt אֱמֶת veritas permanens, stabilis, et sic se distinguens a iuribus humanis accidentalibus, partim veris partim falsis et propterea mutabilibus. Quam mutabiles ex. g. sunt nunc leges in Gallia, quae nullo nituntur fundamento praeterquam arbitrio dominantium franco-muratorum.

Denique *duodecimo* dicitur de iisdem iudiciis צָדְקוּ יַחְדָּו iusta simul, id est omnia omnino ius habent et ius obtinent, quia nullum opprobium falsitatis, iniustitiae partium studii eis inhaeret. « La belle philosophie que celle qui nous donne des idées si pures de l'auteur de notre être ! la belle tradition que celle qui nous conserve la mémoire de ses œuvres magnifiques ! Que le peuple de Dieu est

saint, puisque par une suite non interrompue depuis l'origine du monde jusqu'à nos jours, il a toujours conservé une tradition et une philosophie si sainte. » Bossuet ut supra. Qui item scripsit : « Il nous montre, par ces exemples fameux, ce qu'il fait dans toutes les autres ; et il apprend aux rois ces deux vérités fondamentales : premièrement, que c'est lui qui forme les royaumes pour les donner à qui il lui plaît ; et secondement, qu'il sait les faire servir dans les temps et dans l'ordre qu'il a résolus, aux desseins qu'il a sur son peuple. » Bossuet ut supra, 3 p. ch. 1. — Duodecim elogia legis Dei quae consideravimus, bina se habent ut suppositio et consequentia. Conferamus cum dictis verba Ecclesiastici in fragmento Schecteriano :

וישם בידו מצוה תורת חיים ותבונה
ללמד ביעקב חקיו ועדותיו ומשפטיו לישראל : 45, 5

In secundae partis secunda stropha, *quinta in toto*, poëta summam facit praedictorum elogiorum Torae, et se ipsum in lucem Torae sistens, Deum iustificantem et sanctificantem gratiam rogat, ut finem a Tora propositum consequatur.

V. 11. Desiderabilia prae auro, imo auro purissimo multo,
Et dulcia prae melle, imo melle dulcissimo (sunt praecepta tua, Deus !).

V. 12. Illustrari desiderat quoque servus tuus illis, illa observare maximi est momenti.

V. 13. Peccata infirmitatis quis animadvertit ? ab occultis munda me !

V. 14. A peccatis malitiae retine servum tuum, ne dominentur super me.
Tunc integer ero et absolutus a defectione magna.

Sunt versus maximi ponderis, quos non pigeat meditando menti et animo imprimere.

V. 11. Articulus in הַנֶּחְמָדִים paene vim exclamationis habet : o quam (cfr. 18, 33), quamvis primo loco sit summativus, sicut articulus in הַשִּׁשִּׁי in fine Hexaëmeronis Gen. I, 31. — פָּז est aurum purissimum, probatissimum. Cfr. III, Reg. 10, 18 cum II. Chron. 9, 17. Cant. 5, 11. — נֹפֶת צופים est mel dulcissimum quod sua sponte e favorum cellis effluit. Quo sensu etiam favus hic accipitur. Desiderabilia sunt verba revelationis divinae ei qui illa adhuc extra se habet, dulcia illi qui ea intra se possidet. Quo sensu S. Bruno

Ast. scripsit : « Quid enim tam desiderabile, ut sapientia ; ut iustitia, ut veritas, ut ipsa sui Creatoris agnitio ! Omnia enim haec, et quaecumque alia... in lege Domini continentur. Unde et primo psalmo de viro iusto dicitur : quia meditabitur in lege Domini die ac nocte. Et inde apparet quia dulcior sibi est super mel et favum... ideo super omnia quaecunque sunt, dulciora et desiderabiliora habet, quia in custodiendo illa multam se retributionem habere non dubitat. » M. L. 1. 164, 759-760.

V. 12. Propheta qui Jehovae servus est, id est, qui ei in omnibus rebus parere et servire desiderat, verba Dei etiam ad id sibi usui esse cupit, ad quod data sunt, id est, illis illustrari, instrui et dirigi desiderat. נִזְהָר part. Niphal est ille qui se illuminari, doceri et moneri permittit ; גַּם pertinet ad נִזְהָר. Scit psalmista, mandatorum Dei observatione magnam mercedem quemvis sibi acquirere. Quod etiam desiderat. עֵקֶב calx, ultimum alicuius rei, consequentia vel merces vitae, λοισθήια, ad postremum pertinens = praemium quod in fine certatori datur. Apte adnotavit ad hunc locum Cassiodorus : « Servus tuus iustum significat et devotum. Custodit ea, dulcedine scilicet illa pellectus, quia nequissimis mentibus iudicia Domini semper amara sunt. Et inspice quod dictum est, custodit ea ; ut non solum ad tempus earum rerum suscipi videatur affectus, sed usque in ultimum vitae tempus in tali devotione versetur. Post obedientiam praemia subsequuntur, id est retributio multa. Tanta enim divinae clementiae dona sunt, quae nequeunt comprehendi. Sic enim de his Apostolus dicit : Quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus diligentibus se (I Cor. 2, 9). Merito ergo dicta sunt multa, quia comprehendi non poterant universa. » M. S. l. 70, 142.

V. 13. Cum autem verba Dei non sint tantum imago divinae voluntatis, sed etiam speculum cognitionis propriae, poëta etiam rogat Deum veniam peccatorum suorum. Non male Walafridus : « Petit, inquit, se a vitiis purgari, ut sit dignus psalmista, qui haec referat sacramenta. Menti videnti suavis est veritas, dulcia iudicia ; non videnti, quae suavitas? sed quare non videtur? propter delicta. » M. S., l. 113, 782. Voce שְׁגִיאוֹת, ut iam diximus, comprehenduntur omnia peccata, quae ob quandam infirmitatem carnis vel spiritus committebantur (Lev. 4, 1-5. 13. Num. 15, 27-31), denique omnia peccata, quae in Vetere Testamento *sacrificiis* pro foro externo remittebantur, quae interdum gravissima esse poterant, interdum levissima. Ultima designantur hic voce נִסְתָּרוֹת (ad quod

tamen peccata non est supplendum, quod idem est ac עֲלֻמִים, 90, 8), quae vix animadvertuntur. נָקָה quod aequat δικαιοῦν est terminus iudicialis : innocentem declarare, absolvere, impunitum relinquere. Quaestio autem in initio versus sensum habet : nullus omnino insons est.

V. 14. Conscius humanae infirmitatis, poëta ultra progrediens ; Deum orat, ut ipsum praeservet *a peccatis malitae* מִזֵּדִים. Crimina haec autem erant idololatria, adulterium et homicidium. Qui unum ex his patrabant, non expiabantur sacrificiis, sed exterminabantur, si innotescebant. Erant autem tempora, quando publice colebantur idola : qui ergo tum status erat religionis ! Certe etiam David se malitia decipi permisit sive prius sive postquam hunc cecinit psalmum, et Salomon sapientissimus rex. Quantum ergo quisque timere debet, ne et ipse seducatur. Si autem iam unum peccatum malitiae magnum malum est, quanto maius consuetudo talium peccatorum ! Aptissime ergo psalmista Deum rogat, ne velit permittere, ut talis consuetudo ipsum invadat et in ipsum dominetur. Tunc אָז, si nempe Deus sibi, dicit poëta, hanc duplicem gratiam remissionis et praeservationis concesserit, erit integer אִיתָּם (1. pers. fut. Kal pro אֶתֹּם vel אֵתֹּם cum Iod incorrecto) et absolutus וְנִקֵּיתִי (non Piel ut v. 13, sed Niphal esse purum, liberum) a defectione magna, scil. finali, qua in aeternam damnationem rueret. Bene gemit pius Thomas a Kempis : « O quando finis horum malorum? quando liberabor a misera servitute vitiorum? quando memorabor, Domine, tui solius? quando ad plenum laetabor in te? » De im. Chr. l. 3, c. 48. n. 3.

Ut ad optatum hunc finem perveniat, commendat se psalmista Redemptori in *tertia psalmi parte*, eum petens, ut ei iam nunc placeant omnia sua desideria et verba, exclamans

V. 15. Sint ad beneplacitum verba oris mei et meditatio cordis mei
In conspectu tuo, Iehova, petra mea et Redemptor meus !

Qui versus minime pro intruso habeatur, imprimis cum tantum hoc versu psalmo conveniens imponatur finis.

In fine huius psalmi occurrit dulce illud גּוֹאֲלִי ad quem omnis caro suspirat et ad quem convergit omnis historia generis humani. Quantum Sancti Veteris Testamenti desiderabant adventum Messiae, probat initium Cantici Canticorum, probat etiam adventus

Magorum ad quaerendum Salvatorem, probat praedictio loci nativitatis Salvatoris per prophetam Michaeam : « Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Juda : ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israël, et egressus eius ab initio, a diebus aeternitatis. » 5, 2. Et cantat Dante :

Onde l'umana specie inferma giacque
Già per secoli molti in grande errore,
Fin ch'al Verbo di Dio di scender piacque,
U' la natura, che dal suo Fattore
S'era allungata, unio a Sè in persona
Con l'atto sol del suo eterno Amore.
Par. VII, 28-33.

Audiamus Arnobium Iuniorem explicantem totum psalmum de oeconomia Novi Testamenti. « Coeli, inquit, facti sunt apostoli habentes in se solem iustitiae, et merita in modum stellarum pro varietate diverso splendore radiantia... Horum autem sonus in omnem terram progressus est, et in fines universi orbis verba eorum penetrarunt... A summo coelo egressio eius (Christi). Non ex semine viri, sed ex ore Patris qui est in summo coelorum, et occursus eius usque ad summum eius... Nulla enim gens erit in hoc saeculo ad cuius notitiam non attingat calor fidei christianae, in qua est lex Domini irreprehensibilis, convertens animas..., ibi sunt iustitiae laetificantes corda... Hoc praeceptum tam lucidum est ut etiam caecorum illuminet oculos », etc., etc. M. S. l. 53, 349.

Denique concludamus verbis Ludovici Blosii : « Felices eritis, si amatis recitationem psalmorum, et si meretis frui suavitatibus et pace quas continent. »

PSALMI MESSIANICI

Messianicos vocamus eos psalmos qui aliquam relationem ad Messiam continent. Tales dari psalmos, attestatur Salvator ipse hisce verbis, quae dixit discipulis suis, eis post gloriosam resurrectionem suam apparens : « Δεῖ πληρωθῆναι πάντα τὰ γεγραμμένα ἐν τῷ νόμῳ Μωϋσέως καὶ προφήταις καὶ ψαλμοῖς περὶ ἐμοῦ. » Luc. 24, 44. Quod iam dixerat ante nativitatem in Bethlehem existens in sinu Patris coelestis et in utero sanctissimae Matris suae verbis Psalmi, 40, 8 : בִּמְגִלַּת־סֵפֶר כָּתוּב עָלָי in volumine libri scriptum est de me, nam in volumine libri continentur etiam psalmi. Simul exhibent duo adducti loci relationem praecipuam inter duo testamenta.

Etiam sanctis Patribus persuasum erat, dari psalmos messianicos, prout patet ex eorum scriptis. E quibus placet huc apponere verba S. Ambrosii. « In psalmis, inquit, nobis non solum nascitur Iesus, sed etiam salutarem illam suscipit corporis passionem, quiescit, resurgit, ascendit ad coelum, sedet ad dexteram Patris. Id quod nemo praesumpserat hominum dicere, hoc solus hic propheta annuntiavit, postea ipse Dominus in evangelio praedicavit. » M. S. l. 14,924. Item dicit Bossuet : « David l'a vu de loin, et l'a chanté *dans ces psaumes* avec une magnificence que rien n'égalera jamais. » Discours s. l'h. un. 2e p. ch. 4.

Nos universos psalmos messianicos in quinque distinguimus classes secundum maiorem vel minorem et diversam relationem ad Messiam :

1° mere messianicos,
2° mistim messianicos,
3° theocratico-messianicos,
4° symbolico-messianicos,
5° typico-messianicos.

Hoc autem opusculo tantum edimus mere messianicos.

Veni, Sancte Spiritus,
Et emitte coelitus
Lucis tuae radium. B. Silvester II (Gerbert.).

PSALMI MERE MESSIANICI

Psalmos mere messianicos vocamus eos qui integri de Messia agunt, exclusa relatione ad psalmistam et historiam coaevam. Duplicis generis sunt :

a) qui a psalmista integri dicti sunt e persona Christi, quos nos nominamus *Orationes Christi in psalterio* ;

b) qui a psalmista e persona propria de Christo dicti sunt, quos nominamus *Cantica mere prophetica de Christo in psalterio.*

Orationes Christi in psalterio.

Sunt in psalterio psalmi, qui a Davide integri dicti sunt e persona Christi ut orationes quas Homo-Deus in vita sua in terra fusurus esset et quas certo fudit, quamvis hoc in Novo Testamento non tam clare dicatur. Sunt autem sequentes :

1. Ps. 40. Oratio Christi intrantis in hunc mundum.
2. Ps. 35. Oratio Christi coram tribunalibus falso accusati.
3. Ps. 41. Oratio Christi crucifixi beatum dicentis quemvis meditationi passionis suae deditum. Aliter psalmus Stabat Mater.
4. Ps. 109. Evolutio primi verbi Christi in cruce.
5. Ps. 69. Evolutio quinti verbi Christi in cruce.
6. Ps. 22. Oratio Christi morti proximi.
7. Ps. 16. Oratio Christi statim ut exspiraverat in cruce.
8. Ps. 17. Oratio Christi iacentis in sepulchro.
9. Ps. 108. Oratio Christi resuscitati.

Hi psalmi superant sublimitate evangelicam narrationem : 1° eo quod animam inspirant facto historico ; 2° eo quod prophetia, ceteris paribus, floridior est historica enarratione. Supplent etiam evangelio, ut patet. De his psalmis valet dictum Tertulliani : David « apud nos canit Christum, *per quem se ipse cecinit Christus* ». De carne Christi c. 20. Quanta magnificentia, istas orationes plus quam mille annis antequam recitatae sunt a Christo, a Spiritu Sancto audivisse et litteris mandasse ! Pro certo vix invenitur aliquid aliud tam aptum ad probandam fidem et fovendam pietatem. Quanta ergo cum reverentia tam sacrosancta verba scrutinanda sunt !

I. PS. 40 (39). ORATIO CHRISTI INTRANTIS IN HUNC MUNDUM

Τὸ μωρὸν τοῦ Θεοῦ σοφώτερον τῶν ἀνθρώπων ἐστίν. I. Cor. 1, 25.

Sunt qui dicant : Satis habemus, si quotidie quomodocumque persolvamus officium canonicum, ad quid nos praeterea fastidii studio psalmorum vel denique sacrarum scripturarum? Qui certe non grato animo ferunt ergo Deum pro *caelesti illo sacrorum librorum thesauro, quem Spiritus Sanctus summa liberalitate hominibus tradidit* (Concil. Trident., S. 5, de Ref. c. 1). A quibus nos avertentes, nos convertimus ad explanandum ps. 40, qui est secundus vitam Christi prima eiusdem Oratio in psalterio.

Ponderatis verbis S. Pauli ad Hebraeos 10, 4-10 : « Ἀδύνατον γὰρ αἷμα ταύρων καὶ τράγων ἁμαρτίας. Διὸ εἰσερχόμενος εἰς τὸν κόσμον λέγει : « Θυσίαν καὶ προσφορὰν οὐκ ἠθέλησας, σῶμα δὲ κατηρτίσω μοι· Ὁλοκαυτώματα καὶ περὶ ἁμαρτίας οὐκ εὐδόκησας. τότε εἶπον· ἰδοὺ ἥκω· ἐν κεφαλίδι βιβλίου γέγραπταί περὶ ἐμοῦ τοῦ ποιῆσαι ὁ θεός, τὸ θέλημά σου. » Ἀνώτερον λέγων· « Ὅτι θυσίαν καὶ προσφορὰν καὶ ὁλοκαυτώματα καὶ περὶ ἁμαρτίας οὐκ ἠθέλησας οὐδὲ εὐδόκησας » ἅτινα κατὰ τὸν νόμον προσφέρονται, τότε εἴρηκεν· « Ἰδοὺ ἥκω τοῦ ποιῆσαι τὸ θέλημά σου. » Ἀναιρεῖ τὸ πρῶτον, ἵνα τὸ ὕστερον στήσῃ. Ἐν ᾧ θελήματι ἡγιασμένοι ἐσμὲν διὰ τῆς προσφορᾶς τοῦ σώματος Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐφάπαξ » — concludere tenemur, *totum hunc psalmum esse orationem Jesu Christi intrantis in hunc mundum, quamvis in ea non semper loquatur nomine proprio, sed interdum nomine synagogae illius temporis.* Quo sensu Origenes ad v. 7 se ipse : « Hosce versiculos ex persona Salvatoris dictos esse tradit epi tola ad Hebraeos, et praebet occasionem totum hunc psalmum ex eiusdem persona intelligendi. » M. P. gr. 12, 1110. Item dicit S. Ambrosius : « Totus ex persona Christi psalmus iste est. » M. P. l. 14, 1126. Sed quamvis totus psalmus, ut diximus, sit Oratio Christi, nihilominus varia in eo non nomine proprio loquitur Christus, quia ei omnino non convenirent, uti videbimus, sed nomine synagogae illius temporis, imo nomine totius generis humani, quod in Vetere T. synagoga repraesentabat, sicut in Novo T. Ecclesia, nam Deus totum genus humanum in populo suo respicit, ut evincitur e Matth. 19,28. Apoc. 7, 4-8.

Ponimus primo locos, in quibus discrepant inter se textus hebraicus et latinus Vulgatae, secundo commentarium perpetuum.

I

Iis qui parvi pendunt locos discrepantes psalmorum, a nobis ad eorum maiorem intelligentiam propositos, in memoriam revocamus verba interpretis libri Ecclesiastici in praefatione : « Οὐκ ἰσοδυναμεῖ αὐτὰ ἐν ἑαυτοις ἑβραϊστὶ λεγόμενα, καὶ ὅταν μεταχθῇ εἰς ἑτέραν γλῶσσαν. » Quod abbrevians, sed clarius Vulgata sic reddit : *Deficiunt verba Hebraica, quando fuerint translata ad alteram linguam.*

V. 1: Vocem לַמְנַצֵּחַ = לַמְנַצֵּחַ antiqui interpretantur de victore Christo, recentiores de magistro cantus[1]. לְדָוִד indicat auctorem, מִזְמוֹר sublimitatem psalmi. Sublimitas huius psalmi in eo consistit quod praedicit sacrificium crucis, subtilitas in exaltando tali Redemptore generis humani, qui videbatur Iudaeis scandalum et Gentibus stultitia.

Versu 2° וַיֵּט potius est : et tetendit, et inclinavit, quam : et intendit. Insuper cum nos verba huius versus cum primis sequentis sic coniungeremus : Et inclinans aurem suam mihi, exaudivit vociferationem meam, patet, ultima verba aptius cum hoc versu coniungi, ut fit in Biblia hebraica, quam trahi ad sequentem, ut fit in Vulgata. Denique שַׁוְעָתִי potius est : vociferationem meam, quam : preces meas.

Versu 3° וַיַּעֲלֵנִי accuratius quam : et eduxit me, vertitur : adscendere me fecit. שָׁאוֹן non est simpliciter : miseriae, sed : interitus Ier. 25,31. 46,17. Sermo est hic de lacu, in quo quis ab irruentibus petris vel terrae molibus obrui periclitatur. — מִטִּיט הַיָּוֵן non est : e luto faecis, sed : e luto paludis, in quo quis pedem figere nequit. — Denique כּוֹנֵן non est : direxit, sed stabilivit, firmavit (est 3. pers. Perf. Polel a כּוּן).

Versu 5° שָׂם non significat : est, sed : posuit : De cetero LXX et Vulg. legerunt שֵׂם pro שָׂם. Secunda medietas versus : nec respicit ad fastuosos et declinantes ad mendacium. שָׂטֵי part. a ἅπαξ λεγ. שׂוּט declinare. רָהָבִים a ἅπαξ λεγ. רָהָב elatus, superbus.

Versu 6° וּמַחְשְׁבֹתֶיךָ est cogitationes tuas et est accusativus dependens ab עָשִׂיתָ. Porro Vulgata omittit אֵלֵינוּ quoad nos, pro nobis. Verba porro quae sequuntur : אֵין עֲרֹךְ אֵלֶיךָ vertenda sunt :

1. V. de p. 10.

Nihil tibi comparari potest οὐκ ἔστι ἰσοῦντί σοι: עָרֹךְ ut 89, 7. Isai. 40, 18. — Denique quod adhuc restat huius versus sic vertatur : Vellem quidem annunciare et edicere (mirabilia illa et cogitationes), sed plura sunt quam ut queant numerari.

Versu 7° כָּרִיתָ non est : perfecisti neque fodisti, sed praeparasti, aptasti ut IV Reg. 6, 23 וַיִּכְרֶה לָהֶם כְּרָה גְדוֹלָה et praeparavit eis coenam magnam, Os. 3, 2. LXX interpretes porro sumentes אָזְנַיִם pro synecdoche posuerunt pro eo σῶμα, quos sequitur S. Paulus in ep. ad Hebr. 10, 5. Quo in casu forsitan et interpretes inspirati dici debent, sicut vix dubitari potest quin versio vocabuli צְבָיָה. Isai. 4,2. Ier. 23, 5.33, 15. Is. 8, 7. Zach. 3, 8.6, 12 per ἀνατολή inspirata sit. Nec insimulari possunt interpretes, eos interpretationem eventui accomodasse, cum eam fecerint diu ante eventum. Insuper certo inter sacrificia convenientius corpus quam aures memorantur. Denique שָׁאַלְתָּ sine dubio praesente verti debet, quia enuntiat veritatem quae semper valet.

Versu 8° בִּיגַלַּת non est caput, sed volumen. In fine versus ponatur punctum.

Versus 9us secundum veritatem hebraicam sic sonat : Facere voluntatem tuam, Deus mi, desidero, et lex tua in medio viscerum meorum.

Versu 10° לֹא אֶכְלָא est descriptivum et propterea non : non prohibebo, sed vel perfecto, vel imperfecto vertatur.

Versu 11° קָהָל sicut v. 10 melius ecclesia quam consilium verteretur.

Versu 12° כְּלָא verti deberet sicut v. 10° prohibere, continere vel similiter. In initio versus nihil adest in hebraico pro autem vulgatae. וְצוּרוּנִי in fine non est : susceperunt me, sed : custodient me.

Versu 14° חוּשָׁה non est : respice, sed : festina, accelera. Item לְעֶזְרָתִי ad literam non est : ad adiuvandum me, sed : ad auxilium meum.

Versu 15° יַחְפְּרוּ non est : revereantur, sed opprobrio afficiantur. Item וְיִכָּלְמוּ potius est ignominia afficiantur, quam revereantur cfr. 35, 4.

Versu 16° וְיִשְׁמּוּ (a שָׁמַם obstupescere, erstarren) עַל־עֵקֶב בָּשְׁתָּם non est : Ferant confestim confusionem suam, sed : obstupescant in mercedem, quod aequat : propter (cfr. Isai. 5, 23. Ps. 109, 29.35, 4.26) flagitium suum. Vulgata derivavit וְשָׁמּוּ a שׂוּם vel שִׂים et accepit עַל־עֵקֶב in sensu : confestim.

Versu 17° deest in hebraico et ante dicant.

Versu 18° עָנִי non est : mendicus, sed : afflictus, miser. — עֶזְרָתִי ad literam non est : adiutor meus, sed : auxilium meum. — Item מְפַלְטִי non est : protector meus, sed : liberator, ereptor meus.

II

Totus psalmus, ut diximus, *est oratio Christi intrantis in hunc mundum, qua a Deo prosperum successum operis Redemptionis obtinere intendit, offerens corpus suum sacratissimum statim ac formatum esset in utero sanctissimae Virginis Matris suae Deo in sacrificium, memorans et desiderium Sanctorum Veteris Testamenti, ut Messias veniret, et miserum statum synagogae actualis. — Finis* psalmi est excitare in omnibus hominibus magnum desiderium, ut perficiat Messias opus redemptionis et adimpleat omnes homines gratia sua sanctissima. *Habet psalmus duas partes principales, in quarum prima Servator laetatur, in secunda timet.*

Pars prima habet quatuor strophas. *In prima* exprimit Servator nomine synagogae laetitiam de adventu Messiae et de opere ab eo perficiendo, de quo tamen sic loquitur ac si iam perfectum esset. *In secunda* sacratissimum Cor Iesu praeclaram gratiarum actionem effundit ad Deum pro opere Redemptionis v. 5-6. *In tertia* Servator, adhuc in utero sanctissimae Matris suae inclusus, se Deo Patri suo ad se sacrificandum in Cruce paratum et promptum sistit v. 7-9. *In quarta* loquitur Servator perfectis propheticis de fundanda Ecclesia v. 10-11.

In secunda parte agit Servator de impedimentis vincendis in redimendis hominibus, et quidem *in quinta stropha* de multitudine peccatorum v. 12-13, *in sexta* de malitia adversariorum v. 14-16, *in septima* de parvitate et tenuitate propria, apparente saltem secundum humanitatem v. 17-18.

Pergamus ad exponendam *primam stropham*, quae inscribi potest Gaudium ob opus Redemptionis.

V. 2. Exspectans exspectavi Iehovam,
Et inclinavit (aurem suam) mihi, et exaudivit vociferationem meam.

V. 3. Et adscendere fecit me a fovea interitus a luto paludis,
Et statuit super petram pedes meos, firmavit gressus meos.

V. 4. Et dedit in os meum canticum novum, laudem Deo nostro.
Videbunt multi et timebunt et sperabunt in Iehova.

Versu 2° exprimit Christus nomine synagogae maximum desiderium, quo tenebatur bona pars synagogae, ut Messias veniret, et adimpletionem huius desiderii, quamvis Messias adhuc lateret in gremio sanctissimae Genitricis suae, et nulli hominum praeter eam notus esset. Omnino similis huius strophae quoad argumentum est prima pars Cantici Canticorum 1, 2-5, 1, de quo consulatur Commentar. nostrum. Optime ad hunc locum adnotavit S. Bruno Astensis : « Omnes patriarchae et prophetae, aliique omnes quos S. Spiritus illuminavit, Christi adventum cum magno desiderio exspectabant. Unde et ipse Dominus ait : « Multi prophetae et reges voluerunt videre quae vos videtis, et non viderunt, et audire quae vos auditis, et non audierunt » (Matth. 13, 17)... De his erat vir ille iustus Simeon (Luc. 2, 26)... Hunc autem illi exspectabant, et Dominus respexit eos, et exaudivit deprecationem illorum, mittens eis in tempore praefinito, quem tanto tempore exspectaverant ». M. P. l. 164, 835. Cfr. Galat. 4, 4. Consulatur quoque S. Ambros. apud M. S. l. a col. 1110 ad c. 1112.

Versu 3° item loquitur Servator nomine synagogae, anticipans excellentiam Novi Testamenti fundandi prae Vetere Testamento abolendo. Fovea interitus et lutu paludis designatur Vetus Testamentum ob magnum discrimen salutis, in quo Iudaei versabantur, quod illustratur dicto S. Pauli : « Lex iram operatur » Rom. 4, 15 et longa sectione illius epistolae a cap. 2° ad cap. 11^{um}, qua apostolus probat, Iudaeos non minus quam gentes egere gratia ad bene vivendum. Petra autem est oeconomia salutis Novi Testamenti, id est, Ecclesia, quae etiam alibi comparatur cum petra ex. gr. Matth. 16, 18, domo ps. 93, civitate inconcussa ps. 48. Ubi autem haec firmitas Ecclesiae sublimius celebratur quam in Apocalypsi? Non solum autem Ecclesia inconcussa est, sed etiam multo plura et securiora praebet singulis media perveniendi ad salutem, quam praebebat synagoga. Bene propterea S. Thomas de hoc psalmo dicit: « Psalmus iste mystice agit de mutatione Veteris Testamenti in novum ». Liceat praeterea huc apponere verba ex Imitatione Christi : « Domine, quia tu patiens fuisti in vita tua, in hoc maxime implendo praeceptum Patris tui : dignum est, ut ego misellus peccator, secundum voluntatem tuam patienter me sustineam : et donec ipse volueris, onus corruptibilis vitae, pro salute mea portem. Nam etsi onerosa sentitur praesens vita, facta est tamen iam per gratiam tuam valde meritoria, atque exemplo tuo et Sanctorum tuorum vestigiis, infirmis tolerabilior et clarior. Sed et multo

magis consolatoria quam olim *in lege veteri fuerat cum porta coeli clausa persisteret, et obscurior etiam via ad coelum videbatur... Sed neque qui tunc iusti erant et salvandi, ante passionem tuam et sacrae mortis debitum, coeleste regnum poterant introire.* » L. 3. c. 18, n. 2. Et verba S. Ambrosii : « Gaudentes iam canimus hymnum Deo nostro, quia novarum virtutum praecepta cognovimus : ut nostra omnia relinquamus, Christum sequentes, et nostros diligamus inimicos. Novos etiam hausimus mores ut pro persequentibus nos, precem Domino deferamus. Maledicentes ecce benedicimus. Nescimus opera nostra iactare, aut celare peccata. Angelorum etiam more nuptias refutamus. » M. P. L. 1109-1110.

In prima parte versus 4[i] anticipat Servator nomine synagogae gratiarum actionem pro opere Redemptionis. Bene dicit hanc gratiarum actionem canticum novum quia agitur de opere magnificentissimo bonitatis Dei, quale Deus antea nunquam patrarat, et vocat Deum nostrum, quia idem Deus qui se manifestavit in synagoga perficiet Redemptionem. In secunda parte praedicit consequentiam operis Redemptionis, quae erit conversio multorum. Hi contemplantes opus Christi et praedicationem evangelii, incipientes vereri abyssum consiliorum Dei, et se convertentes ad Messiam, spe roborati pergent viam salutis. « Canticum novum, canticum prius inauditum, evangelica praedicatio est, in qua Christi nativitas, passio, resurrectio, et ascensio declaratur... Iudaei infelices nolunt cantare nisi canticum vetus. » St. Bruno Ast. 164, 836.

Forsitan nullibi tam praeclara gratiarum actio ad Deum directa pro opere Redemptionis, proveniens a sacratissimo Corde Iesu invenitur sicut in sequente stropha secunda.

V. 5. Beatus vir qui ponit Iehovam fiduciam suam.
Et non se convertit ad superbos et deflectentes ad mendacium.

V. 6. Multa facis tu, Iehova Elohai, mirabilia tua et cogitatus tuos pro nobis.
Nihil tibi comparari potest :
Ea quidem annuntiare et eloqui vellem,
Sed enumerari non possunt.

V. 5. Hic versus a Christo tum nomine proprio tum nomine synagogae dictus accipi debet. Beatum dicit Christus illum qui per Messiam adhaeret Deo et non ponit fiduciam suam in machinationes et mendacia principum Iudaeorum et Romanorum. Optime traduci

potest hic versus ad habendam fiduciam in Deo, et non in hominibus : de qua re loquitur Imitatio Christi l. 3. c. 59. Bene etiam dicit S. Hieron.: « Felix illa anima, quae habet fidem firmam et spem directam in Christo ». M. P.l. 26, 1001. Item dicit S. Bruno. Ast. : « Sit igitur nomen Domini spes nostra et in cunctis nostris necessitatibus ipsum invocemus. » 164,836. Et Cassiodorus: « *Nomen Domini inter caetera Salvator aeternus est*: et ille spem suam ponit in eius nomine qui se non suis meritis, sed ab eo per eius gratiam credit esse salvandum. » Ibid. Convenientissime propterea nomen Iesus, quo et Salvator et opus eius in mentem revocatur, proprio cultu celebratur in Ecclesia, et concesserunt Sixtus V, Benedictus XIII et Clemens XIII illud invocantibus indulgentias (Raccolta, p. 48). Item concessit Clemens X indulgentias recitantibus sic dictam Coronam Domini (Raccolta, p. 42-48).

V. 6. Hoc in versu Servator se comprehendens cum synagoga, agnoscit innumera et immensa bona, quae Deus iam fecerat vel adhuc facturus erat ad redimendum genus humanum. Certo nemo haec tam bene noverat sicut Cor divino-humanum Iesu Optime proinde de decreto Redemptionis canit Dante :

> Questo decreto, frate, sta sepulto
> Agli occhi di ciascuno, il cui ingegno
> Nella fiamma d'amor non è adulto.
>
> Parad. c. 7. v. 58-60.

Stropha tertia apogaeum est psalmi in quo Servator statim ac conceptus esset, se Deo Patri suo ad se sacrificandum in cruce paratum et promptum sistit.

V. 7. Sacrificium et oblationem non vis,
Aures (corpus) aptasti mihi :
Holocaustum et victimam pro peccato non postulas.

V. 8. Tunc (propterea) dico: Ecce venio : *in volumine libri scriptum est de me* [1],

V. 9. Facere voluntatem tuam, Elohai desidero,
Et lex tua est in medio viscerum meorum.

V. 7. Dicit hic Christus ad Deum : Ecce, Deus mi, paratus sum subire sacrificium Crucis, quia omnia sacrificia Veteris Testamenti impotentia sunt ad conciliandos homines tecum. *Non vis* aequat

1. Sic et S. Hier. hunc locum vertit et dividit.

impotentia sunt. Sacrificiis autem V. T. certe multo aptius opponitur corpus quam aures. Si autem adversarii dicunt, standum esse ad lectionem, respondemus sicut supra, has positas esse pro toto corpore, vel hoc fuisse mandatum, quod acceperat Filius a Patre, ut subiret Crucem. Quatuor nomina sacrificiorum hic posita sic inter se se habent: זֶבַח et מִנְחָה omnia sacrificia V. T. respectu eorum materiae, חַטָּאָה et עוֹלָה respectu eorum finis (expiatio et coniunctio cum Deo) designant. Bene adnotavit ad h. l. S. Bruno Ast.: « Sacrificia itaque et oblationes usque ad Christum suum tempus habuerunt, quia Christi passionem significabant. Deinde vero necessaria non fuerunt, quia debuit cessare umbra, veniente veritate. » 164, 837. Item scripsit S. Cyrill. Alex.: « Quia, inquit, o Pater, legalia sacrificia iam respuis, ... venio corpore sumpto, quod tu mihi perfecisti. Etenim sanctus Spiritus et Altissimi virtus sanctam Virginem obumbravit..., ut memet offeram ceu hostiam immaculatam, finemque imponam legis ritibus qui peccata auferre non valent ». M. P. gr. 69, 987. Convenientissime sacrificia cruenta praefigurabant sacrificium Crucis, et incruenta sacrificium Missae. Sacrificium autem Crucis et Missae unum atque idem est et quoad victimam et quoad sacerdotem, sufficiens omnibus omnino votis et necessitatibus.

V. 8. Continuat Servator loqui de promptitudine sua ad subeundam crucem, dicens: Haec est voluntas tua, o Pater, summa omnium quae continentur in volumine libri, id est, in Vetere T. de me. « Caput libri vocat omnem scripturam legalem. Omnes enim scripturae quasi in compendium quoddam redigunt praedictionem de Christo. » Origenes P. gr. 12, 1410. מְגִלַּת־סֵפֶר ergo est designatio sacrae scripturae veteris T. in quantum tempore compositionis huius psalmi extabat, imo totius V. T., quia priores libri posterioribus evolvuntur. Six ex. g. praedictio liberationis hominum per semen mulieris, quod est Christus, iam continetur in Proto-Evangelio Gen. 3, 15. Quidnam de Christo scriptum sit in volumine libri non exprimitur, sed facile subintelligitur, ipsum fore Redemptorem generis humani per sacrificium Crucis. « Homo reparator pro lapso homine Deo debuit se offerre. » Alanus, Doctor universalis († 1203). Apud M. S. l. 210, 611. De necessitate Incarnationis ad redimendum humanum genus optime disserit S. Anselmus in opere inscripto: Cur Deus Homo.

Pie Pellicane Iesu Domine,
Me immundum munda tuo sanguine,

Cujus una stilla salvum facere
Totum mundum quit ab omni scelere.

Bene propterea Clemens IX sibi pro insigni elegerat pellicanum cum epigrammate: Clemens aliis, non sibi. Concludamus etiam ex dictis, quanti faciendum sit « volumen libri ».

V. 9. Confirmat Christus promptitudinem suam ad se sacrificandum in Cruce secundum voluntatem Patris, dicens: Facere voluntatem tuam, Deus mi, desidero, et lex tua est in medio viscerum meorum vel cordis mei. Christus ergo vocat Patrem Deum suum sicut in Apoc. 2, 7. 3, 2. 12 et Vetus T. legem Dei, nam, ut concludimus e contextu, תּוֹרָתְךָ huius versus idem est cum כְּתוּבַת־סֵפֶר praecedentis. Inferamus etiam ex hoc, quanti faciendum sit Vetus T., cum a Christo ipso expresse vocetur lex Dei, quam se habere in corde suo adiungit. Quantum ergo amavit illam legem : Quantum oportet ut etiam nos eam amemus. Non mirandum est ergo, quod in vita sua omnibus praeceptis legis se submiserit, et quod dixerit: Non veni solvere legem, sed adimplere, et: Iota unum aut unus apex non praeteribit a lege, donec omnia fiant. Matth. 5, 17.18. « Notre adorable Sauveur, encadrant toute l'économie de notre rachat entre l'Ecce venio de l'Incarnation et le Fiat de la Rédemption, n'enlève rien à la puissance et à l'efficacité de ce Fiat en le faisant précéder du Transeat a me calix iste ». Dom B. Mackey, O. S. B., in « Œuvres » de St. Fr. de Sales, IV. XLVI.

Pergit Servator loqui perfectis propheticis de fundanda Ecclesia in quarta Stropha.

V. 10. Annuntiavi iustitiam in Ecclesia magna,
Ecce labia mea non prohibebam;
Iehova, tu nosti!

V. 11. Iustitiam tuam non abscondi in medio cordis mei,
Veracitatem tuam et salutem tuam dixi,
Non celavi gratiam tuam et veritatem tuam Ecclesiae magnae.

Loquitur in his duobus versibus Christus de futura praedicatione evangelii sic ac si iam facta esset.

V. 10. Occurrit hic verbum בִּשַּׂרְתִּי quod proprie usurpatur de nuntiando bono et laeto nuntio novi testamenti, a quo et evangelium בְּשׂוֹרָה dicitur, prout ostendi in commentario meo in evangelium S. Marci a pag. 48 ad 50. Hic ergo loquitur Christus de Ecclesia catholica iam fundata. Dicendo בִּשַּׂרְתִּי monstrat, se per apostolos

suos locutum esse. Nominando doctrinam Ecclesiae iustitiam, ostendit eam niti vicaria satisfactione Christi pro hominibus, et applicatione fructuum eiusdem hominibus. Addendo : ecce labia mea non prohibebam, innuere videtur magna impedimenta quae offendit diffusio doctrinae suae; verbo denique ultimo : Iehova, tu nosti, miratur de tam prospero successu praedicationis evangelicae, obstantibus tot impedimentis, ita ut bene cantet Dante :

Se il mondo si rivolse al Cristianesmo,
Diss'io, senza miracoli, quest'uno
È tal, che gli altri non sono il centesmo.
Parad. c. 24, v. 106-108.

Pulchra quoque est Oratio in Doctrina XII apostolorum : « Ὥσπερ ἦν τοῦτο τὸ κλάσμα (panis eucharisticus) διεσκορπεσμένον ἐπάνω τῶν ὀρέων καὶ συναχθὲν ἐγένετο ἕν, οὕτω συναχθήτω σου ἡ ἐκκλησία ἀπὸ τῶν περάτων τῆς γῆς εἰς τὴν σὴν βασιλείαν. » Ed. Schlecht p. 20. Mirandum quoque est quod Ecclesia semper triumphat de omnibus hostibus, ut probat opus Gregorii XVI in : Il trionfo della Santa Sede e della Chiesa.

V. 11. Amplificat Christus ea quae in praecedente versu enuntiavit. Dicit ergo 1° se non abscondisse in corde suo iustitiam Dei, quod nos praecipue intelligimus de intentatis Iudaeis poenis ob Deicidium, quia agitur hic de re ut videtur, qua homines quodam modo cogantur ad agnoscendum Messiam. Ad quod pro duris cordibus et obstinatis imprimis inserviunt poenae intentatae et adimpletae ; 2° se veracitatem et salutem Dei dixisse, quod primum nos interpretamur de adimpletis promissionibus Veteris Testamenti de Messia, secundum de bonis obtentis per Messiam ; 3° se non celasse gratiam Dei et veritatem eius Ecclesiam magnam, quo modo modestissimo confirmat iam dicta, simul indicans, thesaurum Ecclesiae constare veritate et gratia.

Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ
ἐδικαιώθη ἐν πνεύματι
ὤφθη ἀγγέλοις
ἐκηρύχθη ἐν κόσμῳ
ἀνελήφθη ἐν δόξῃ. I. Tim. 3, 16.

Post descriptam laetitiam de bonis redundantibus e redemptione in prima psalmi parte, agit Christus *in secunda parte eiusdem de timore ob impedimenta vincenda in redimendis hominibus.*

Primum horum impedimentorum sunt peccata, de quibus dicit in quinta stropha :

V. 12. Tu Iehova, non prohibebis misericordias tuas a me,
Gratia tua et veritas tua semper me custodient.
V. 13. Nam circumdederunt me mala usque adeo ut non sit numerus,
Comprehenderunt me iniquitates meae et non habeo vim ad videndum :
Plures sunt capillis capitis mei,
Et cor meum dereliquit me.

V. 12. Loquitur hic Christus nomine boni seminis synagogae, a quo Deus non prohibebit misericordias suas, imo super quod eas largissime effusurus est per Messiam, et quod gratia interna et illuminatione semper custodiet, ita ut non aberret a tramite populi Dei, sicut revera factum est ; nam primitiae Ecclesiae et sancta radix Ecclesiae fuerunt e Iudaismo. Consulantur ps. 45, prima pars sacri Cantici, Rom. cap. 9-11 etc.

Recordare, Iesu pie,
Quod sum causa tuae viae :
Ne me perdas illa die !

Attendatur, hic sicut iam v. 11 gratiam poni ante veritatem ad innuendam infirmitatem voluntatis humanae. Quapropter et Paulus loquens de aberrationibus generis humani statim adiungit cogitationibus vanis obcaecationem cordis insipientis Rom. 1, 21. « Et ne nos inducas in tentationem. »

V. 13. Loquitur hic Christus nomine synagogae sibi bene consciae suorum plurimorum et maximorum peccatorum, ob quae quidem reprobari mereretur, sed quae nihilominus in spem se erigens, veniam sperat. Loquitur Christus item nomine totius generis humani, ut supra diximus. *Mala*, de quibus hic sermo est, sunt peccata, transgressiones sanctae legis Dei. Quae ita circumdederant tempore Incarnationis Dominicae nationem Iudaeorum et gentes, ut revera essent absque numero. Describit Paulus miserum statum gentium Rom. 1, 18-32, Daniel 7, 9., Paulus Iudaeorum Rom. 2, 1-29. 7, 5. 7-14. 8, 2-9., omnium hominum 3, 9-20. 6, 17. 19-21. 7, 17-24. Cfr. etiam Gaume, La révolution. — Idem quod in primo dicitur in secundo membro : Comprehenderunt me etc., in quo natio Judaica comparatur cum homine aegroto a viribus vitalibus ita derelicto, ut

iam incipiat lux oculorum obtenebrescere et cuius mors in proximo exspectetur. —Tertium membrum, exaggerans multitudinem peccatorum (ob capillos capitis adeas, Luc. 12, 7), respondet primo, et quartum, describens defectum virium vitalium, secundo. Conferatur oratio Danielis. 9, 3-13 et Baruch 1, 15-3, 8.

Rex tremendae majestatis,
Qui salvandos salvas gratis,
Salva me, fons pietatis !
La pena d'unque, che la Croce porse,
S'alla natura assunta si misura,
Nulla giammai sì giustamente morse :
E così nulla fu di tanta ingiura,
Guardando alla Persona che sofferse,
In che era contratta tal natura.
Dante, Parad. c. 7. v. 40-45.

Post descriptum primum impedimentum salutis, *pergit Christus ad exponendum secundum, quod sunt adversarii, in sexta stropha.*

V. 14. Complaceat tibi, Iehovà, ut eripias me,
Iehova, ad auxilium meum festina !
V. 15. Pudore afficiantur et erubescant pariter quaerentes animam meam ad perdendam eam,
Avertantur retrorsum et probro afficiantur volentes malum meum !
V. 16. Desolentur in mercedem ignominiae suae
Qui dicunt mihi : Euge, euge !

V. 14. Loquitur in hoc versu Christus tum nomine proprio, petens liberari a malis passionis, tum nomine synagogae, optans, ut liberetur ab inimicis tum visibilibus tum invisibilibus, ut praeservetur a defectione a Messia etc. Similia sicut hic legimus 35, 22-24. 69, 15-22. 109, 21-25. 22, 20-22. Consulatur insuper praecipue Cantic. Cantic. 1, 7 (6).

V. 15 et v. 16. Et in his duobus versibus orat Christus et nomine suo et nomine synagogae. Distinguuntur tres classes inimicorum : 1° tales qui quaerunt auferre vitam sive Christo, sive synagogae, sive utrique : qui, ut patet, peccant contra quintum Decalogi praeceptum. — 2° tales qui volunt malum, desiderant malum, invident bono. Invidia autem est peccatum capitale. — 3° tales qui gaudent de malo. Apostolus autem dicit : Gaudere cum gaudentibus, flere

cum flentibus. Rom. 12, 15. — Hisce versibus simillima obveniunt in praecitatis psalmis, qui propterea recolantur.

Denique loquitur Christus de tertio impedimento operis sui, de parvitate et tenuitate propria, apparente saltem secundum humanitatem, et synagogae, in septima stropha, ultima psalmi, in qua nihilominus prosperos dicit omnes qui sincere quaerunt Deum.

V. 17. Exultent et laetentur in te omnes quaerentes te,
Dicant semper : Magnificetur Iehova, diligentes salutem tuam.

V. 18. Ego quidem sum afflictus et pauper,
At Adonai cogitabit de me.
Auxilium meum et liberator meus es tu !
Deus mi, ne tardes !

V. 17. Semper bono animo esse possunt ii qui sincere Deum quaerunt, nam signati sunt in fronte ut servi Dei Apoc. 7, 3. Vide etiam ib. 1, 7. Fere idem ac hic legitur 35, 27. Salus tua hic est illa quam impertitur Deus servis suis ob merita Christi, et Christus ipse. « Sicut enim moeror et tristitia exspectat malos, ita gaudium et aeterna laetitia exspectat illos, qui Christum Dominum nostrum diligunt, et quantum possunt extollunt et magnificant. » St. Bruno Ast. 164, 839. Multum propterea Papae laudandi sunt qui laboraverunt pro dilatando nomine Christi, uti B. Urbanus V, Gregorius XV, Urbanus VIII, collegium et societas de propaganda fide, societas de sancta infantia Iesu, etc. Attendatur ad תְּשׁוּעָתֶךָ, quod affine est cum dulci nomine Iesu, et in mentem revocat unigenitum a Patre, quem misit Salvatorem mundi.

V. 18. Etiam hunc versum Christus nomine proprio et synagogae orat. Dicit ergo, se et synagogam afflictos esse (37, 10. 69, 30. 109, 16. 22, 25) et pauperes (30, 10. 109, 31. 16. 22), sed Iehova cogitabit mihi, h. e. de me (יַחֲשָׁב־לִי, cfr. מְחַשְׁבֹתַי v. 6 et Ion. 1, 6), consulendo mihi. Adeatur caput 18 libri 3[i] de imit. Christi : « Quod temporales miseriae, exemplo Christi, aequanimiter sunt ferendae ». Quantum synagoga tempore incarnationis Dominicae impeteretur ab hostibus tum externis, uti a Romanis, ab Herode, etc. ; tum internis, uti a Pharisaeis et Sadducaeis, etc., discatur ex historia. Concludit Orans Orationem gemitu : *Auxilium meum et ereptor meus* (18, 3. 70, 6. 144, 2. II Sam. 22, 2) *es tu : Elohai, haudquaquam moram facias.* Similiter Daniel, accepturus vaticinium de septuaginta hebdomadis oraverat : Adonai audi, Adonai

dimitte! Adonaï attende et fac! ne moreris propter temetipsum, Deus meus, etc. 9, 19. Pari modo docuit Dominus Noster orare : Adveniat regnum tuum, et dicit Joannes in fine Apocalypseos : Ἔρχου, κύριε Ἰησοῦ!

Commendatur opus Iesuitae Coleridge : The life of our life, vita Iesu Christi, in cuius initio diffuse disserit de vita Messiae in utero *ssmae* Matris suae.

Faciamus quod legitur de S. Verena : Tota Christo adhaerescebat, et quod monet S. P. N. Benedictus : Christo omnino nihil praeponant c. 72 S. Reg.

II. Ps. 35 (34) : ORATIO CHRISTI CORAM TRIBUNALIBUS FALSO ACCUSATI.

Τὸ ἀσθενὲς τοῦ Θεοῦ ἰσχυρότερον τῶν ἀνθρώπων ἐστίν.
I. Cor. 1, 25.

Si pensamus, psalmum hunc valde similem esse psalmis 109 et 69, qui etiam sunt Orationes Christi patientis, et Joannem in evangelio suo 15, 24-25 Christum sic de Judaeis loquentem introducere : « Εἰ τὰ ἔργα μὴ ἐποίησα ἐν αὐτοῖς, ἃ οὐδεὶς ἄλλος πεποίηκεν, ἁμαρτίαν οὐκ εἴχοσαν· νῦν δὲ καὶ ἑωράκασιν καὶ μεμισήκασιν καὶ ἐμὲ καὶ τὸν πατέρα μου. Ἀλλ' ἵνα πληρωθῇ ὁ λόγος ὁ γεγραμμένος ἐν τῷ νόμῳ αὐτῶν· Ὅτι ἐμίσησάν με δωρεάν », quae ultima verba sumpta sunt e versu 19 huius psalmi, et in toto psalmo eamdem personam loqui : dubitare non possumus, quin totus hic psalmus dictus sit a Davide e persona Christi, et propterea sit mere Messianicus et non referendus ad historiam Davidis, et in eo expressa sit energia amoris divini, sicut in psalmis 109 et 69. et intendat cavere defectionem a Messia, sicut illi duo psalmi. Cui adstipulatur s. Bruno Astensis scribens : « Dicit rex et propheta David ut iste psalmus adscribatur ipsi David, id est Salvatori nostro ... *Loquitur autem in hoc psalmo Salvator noster*; sed, sicut saepe diximus secundum humanitatem. » 164, 810. Consultis versibus 11 et 12 psalmi, ut tempus aptissimum, cui hic psalmus assignari potest, est illud, quando D. N. in sacratissima sua passione a falsis testibus accusabatur et interrogabatur.

Auctor huius psalmi est David, sonante inscriptione לְדָוִד, de quo dicit Ecclesiasticus 47, 8° secundum LXX : « Ἐν πάσῃ καρδίᾳ αὐτοῦ ὕμνησεν » ex quo patet, quanti facienda sint eiusdem sacra cantica, praecipue cum inspiratus esset.

I

Loci discrepantes.

Versu 1°. רִיבָה non est iudica, sed litiga. Item רִיבִי non est nocentes me, sed litigatores mei. Instar iusti iudicis aut fidelis patroni suscipe causam meam, atque me, iniuste ab hominibus

oppressum, et misere a cunctis amicis desertum, in tuam recipe tutelam, causam meam tu ipse agas.

Versu 2°. מָגֵן non est arma, sed clypeus ut 3, 4.

In intitio versus 3ⁱ omittit Vulgata וְ. סְגֹר לִקְרַאת רָדְפִי aequat : interclude viam persecutoribus meis, te se eis opponens sive te sistendo in via qua veniunt, sive eis obviam eundo. Iam Exod 15, 3 nominatur Jehova אִישׁ מִלְחָמָה et describitur ut talis Deut. 32, 41-42 et etiam alibi.

Versu 4° וְיִכָּלְמוּ non est : revereantur, sed : et ignominia afficiantur.

Versu 5° מֹץ non est pulvis, sed palea ut 1, 4. Item דֹּחֶה non est coarctans, sed impellens scil. inimicos, ut cadant.

Versus 6ᵘˢ aliquanto accuratius ac in Vulgata sic verti posset: Fiat via illorum caligo et lubricitates et angelus Jehovae persequens eos.

Versu 7° שַׁחַת רִשְׁתָּם non est interitum laquei sui, sed foveam retis sui. Porro quae sequuntur sic vertantur : Immerito foderunt, scil. foveam ad capiendum, animae meae.

Versu 8° שׁוֹאָה non est laqueus, sed fragor, id est, cum fragore cadat in foveam quam mihi paravit. Item רִשְׁתּוֹ etiam hic sicut v. 7° non est captio, sed rete. Denique ante בְּשׁוֹאָה nullum ו adest.

Versu 9° nulla adest copula ante secundam versus partem. Porro יְשׁוּעָתוֹ potius est salus eius, quam scil. Jehova tribuit, quam salutare suum.

Versus 10ⁱ finis sic vertatur : eripiens afflictum ab eo qui ei praevalet, et afflictum et inopem ab eo qui eum diripit.

Versus 11ᵘˢ sic vertatur : Assurgunt testes violentiae, quae ignoro, interrogant me. — Agitur de indole horum testium, et propterea verba praesentia ponantur.

Versus 12ᵘˢ sic vertatur : Rependunt maleficium pro beneficio : orbitas animae meae, subintelligatur sors vel status est. Est finis huius versus sententia pro se, qua Christus queritur, quod ab omnibus derelictus est, ut 69, 21 et 22, 2.

Versus 13ᵘˢ : Ego autem, dum illi male habebant, vestiebar sacco, affligebam ieiunio animam meam, et precatio mea in sinum meum revertebatur, id est, precans curvabar, ita ut precatio quasi in sinum meum reverteretur.

Versus 14ᵘˢ : Ac si (quisque eorum) esset socius, ac si esset frater mihi, (tristis) incedebam : ut qui luget matrem, vel adhuc

magis ad literam : sicut in luctu pro matre, pullatus incurvabar. קָדַר hic dictum est de veste atra, de facie lacrimante et non lota, de barba incompta, quae signa erant externa doloris. Videsis Dukes, Rabbinische Blumenlese, S. 252. שָׁחוֹתִי dicitur hic de pondere doloris, quo quis opprimitur, sub quo incurvatur.

Versus 15us : Ipsi vero in infirmitate mea laetantur et conveniunt : conveniunt adversum me plebeji et ignoti, lacerant et non cessant. — צַלַע (38, 18) proprie claudicatio, hic status infirmitatis quo quis semper magis cadit usquedum penitus ruat, germanice Hinfall. Omissum est in Vulgata. Agitur hic de modo quo se gerunt adversarii Domini Nostri in praesente eius passione opponiturque hic modus illi quo se prius ipse gerebat dum illi male habebant (cfr. Luc. 19, 41 : videns civitatem flevit super illam : 23, 28 : nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, et super filios vestros), ac propterea verba praesentibus vertantur. — נְכִים a נָכָה hic significare videtur plebeji (de Rossi i vili, Cohen des insensés, St. Hieron. percutientes, Symmach. percussores) a נָכָה flagellare, ergo flagellati sensu abiectorum. Unde LXX μάστιγες et Vulg. flagella. Sed inter concreta certe melius convenit concretum quam abstractum. קָרְעוּ lacerant, scil. famam meam. — וְלֹא־דָמּוּ et non silent, id est, crudelitatis ac violentiae illorum nullus est finis, non cessant a diris suis dilacerationibus.

Versus 16us : Cum turpibus placentae scurris vel cum impiis derisorum pro placenta, Cohen : avec les impies de la raillerie du gâteau, de Rossi : tra gl'ipocriti buffoni da focaccia, Delitzsch : mit gemeinen Küchenwitzlern, frendunt contra me dentibus suis. — Subiectum ad חָרַק sunt plebeji et ignoti versus praecedentis. חָרַק autem, quod est infinitivus absolutus, pro verbo finito positum est. בְּ in בְּחַנְפֵי indicat comitatum. חַנְפֵי a חָנֵף impurus, profanus, impius, turpis. לֵ֫ג subsannator, derisor amarus, scurra. עֻגֹ֫ placenta a forma rotunda sic dicta. Quibus omnibus perpensis, initium huius versus verti debet : Cum turpibus scurris placentae, quibuscum comparari possunt κνισσοκόλακες, ψωμοκόλακες, buccellarii me lii aevi, niedrige Schmarotzer, Tellerlecker, Bratenriecher etc. Dentium fremitus hic signum est tum despectus tum indignationis.

Versu 17° כַּמָּה תִרְאֶה non est quando respicies, sed : quousque adspicies. Porro quae sequuntur, sic vertantur : Fac redire animam meam a devastationibus eorum, a leonibus unicam meam.

Versu 18° עָצוּם gravi aequat numeroso, cfr. Exod. 1, 20.

Versus 19us : Ne gaudeant de me qui immerito mihi hostes sunt, ii qui me oderunt absque causa, nictant oculo.

Versus 20us : Etenim non pacem loquuntur, sed contra quietos terrae verba fraudum excogitant. Adiectivum רָגֵעַ, quod tantum hic occurrit, affine quidem est scriptione cum verbo רָגַע terrere, et propterea forsitan illud LXX et Vulg. iracundiam verterunt, sed alterius radicis esse debet, cum de eius sensu inter eruditos constet et Jer. 6, 16 מַרְגֵּעַ requies et Isai. 28, 12 מַרְגֵּעָה refrigerium occurrat.

Versus 21us : Et dilatant contra me os suum : dicunt, eja ! euge ! vidit oculus noster (proprie : oculi nostri).

Versu 22°. רָאִיתָה hic potius est praesens quam perfectum. תִּרְחַק non est discedere, sed procul abesse.

Versus 23us : Expergiscere et evigila ad iudicium meum : Deus meus et Adonai ad litem meam !

Versu 24°. Supergaudere alicui, quod tantum in Biblia occurrit, aequat gaudere de aliquo.

Versu 25°. In hebraico tantum semel הֵאָח euge adest. נַפְשֵׁנוּ hic non est animae nostrae, sed est interiectio : Desiderium nostrum ! Germanice : Unser Begehren ! Anglus hoc sic circumscribit : Ah, so would we have it. Nec adest in hebraico et in sequente nec Vulgatae.

Versus 26us : Pallescant et erubescant simul laetantes de malo meo, induant pudorem et ignominiam qui opus suum sceleratum contra me magnificant.

Versu 27°. חֶפְצֵי non est qui volunt, sed qui vult refertque se ad Jehovam, ac propterea etiam עַבְדּוֹ in fine non vertendum est servi eius, sed servi sui.

Versu 28°. תֶּהְגֶּה potius est loquetur quam meditabitur, quod etiam melius convenit functioni linguae. Sermo est enim de locutione mature reflexa et profunde sensa.

Explicatio.

Est psalmus hic agitatissimus. Tribus constat sectionibus, alludentibus ad ssmam Trinitatem, in quibus singulis Christus initio orat Deum, ut sibi adversus inimicos, a quibus per summam iniuriam oppugnatur, praesidio sit, eorumque mores, insidias, malignitatem, superbiam describit, in fine triumphans de liberatione, se tanti beneficii memorem, laudes Deo relaturum esse spondet fere sicut in fine psalmorum 22i, 109i et 69i.

In prima sectione, quatuor constante strophis, Orans in prima provocat Deum ad bellum pro se, in secunda et tertia imprecatur hostibus, in quarta triumphat.

In prima stropha precatur Orans Jehovam, ut et instar iudicis aut fidelis patroni et instar bellatoris suscipiat causam suam.

V. 1. Litiga, Jehovah, cum litigantibus mecum,
Pugna cum impugnatoribus meis.

V. 2. Apprehende clypeum et scutum et exurge in adiutorium meum.

V. 3. Et educ lanceam et interclude viam persecutoribus meis.
Dic animae meae : Salus tua ego sum.

Examinentur singula.

In primo ergo versu Orans Deum precatur, ut defendat causam suam tamquam iudex, et ut debellet bellatores suos tanquam bellator insuperabilis. Bene ad primam huius versus partem adnotavit s. Cyrillus Alex. : « Iudicio certat universorum iudex cum Judaeis, et Deum Patrem, qui in coelis est, controversiae moderatorem esse cupit. » Migne S. gr. 69, 894. Verbum לָחַם quod proprie significat comedere, vesci (unde לֶחֶם panis), ut Prov. 4, 17. 9, 15. Ps. 141, 4., aliquando idem est ac depascere et devorare, destruere, oppugnare, unde in Niphal נִלְחַם significat pugnare, bellum gerere, et מִלְחָמָה bellum denotat tamquam omnia depascens et absumens. « Animadverte quomodo illum oppugnant, et ne sit Deus ac Filius Dei, quantum in ipsis est, prohibent. Praeterea illum maximorum miraculorum operatorem videntes, traducere audebant, quasi ope Beelzebub daemonia eiiceret» etc. S. Cyrill. Alex. 69, 895. Continuat Orans

Versu 2° dicere ad Deum, eum ut bellatorem considerans, ut se muniat quam optime fieri possit contra hostes, et exurgat ad se defendendum. מָגֵן potius ad abigendos inimicorum ictus, צִנָּה ad tegendum corpus inserviebat. Quum nemo utrumque simul tenere posset, sequitur, psalmum sensu spirituali accipiendum esse. Particula בְּ in בְּעֶזְרָתִי posita est hic pro לְ, ut 22, 20. 38, 23. 40, 14. Considerat hic Orans Judaeos ut homines furentes, qui mansueti fieri non possunt. Nescio, utrum hoc loco inductus, vocet S. Clemens Alex. Deum : Frenum pullorum indocilium Στόμιον πώλων ἀδαῶν (Migne S. gr. 8, 682), prout Deus invocari debet adiutor contra hostes indomabiles.— Continuat Orans

Versu 3° provocare Deum, ut lanceæ exserta [illegible] hostibus suis. Vide inter locos diser. Bene hæc explicare possumus quod Clemens Alex. de Logo dicit, quod autem de omnibus tribus divinis personis valet, quæ præcipue per Logum ad extera operantur. « Omnia, inquit, Logos et facit et docet et instituit. Equus freno ducitur, et taurus iugo ducitur, fera laqueo capitur, homo autem Logo transformatur, quo ferae mansuescunt, pisces natatilia, et attrahuntur volucres. Hic revera equo frenum struit, tauro iugum, ferae laqueum, pisci arundinem, avi rete. Hic rempublicam regit et agros colit, imperat et est administer, et universa fabricatur. » Migne S. gr. 8, 678-679. Præclarum hoc est testimonium de providentia divina et de divinitate Verbi, sed cavendum est, ne nimis urgeatur ita ut libertas hominis negetur et Deus evadat operator malorum. Post invocatum ergo Omnipotentem, ut irritos faciat conatus inimicorum suorum contra se, pergit Orans imprecari inimicis ob eorum malitiam, ut potius moveat Deum ad sibi succurrendum in

secunda stropha.

V. 4. Pudore afficiantur et erubescant quaerentes animam meam,
Convertantur retrorsum et pudefiant cogitantes malum meum.

V. 5. Fiant sicut palea ante faciem venti,
Et Angelus Jehovae repellat (eos).
V. 6. Fiat via illorum tenebrae et lubricitates,
Et Angelus Jehovae persequens eos.

Abhorret ergo Christus Deicidium Judaeorum eisque mala adprecatur, nisi se convertunt.

V. 4. Pudefiant Deicidae. « Haec si ad literam intelligantur, plana sunt; tamen ut ad literam intelligantur, ipsa ratio cogit, quoniam secundum literam completa esse videntur. Si enim in tempore passionis Christi Judaei poenituissent, et de hoc quod facere volebant erubuissent, et ab illa sua prava intentione retro conversi fuissent, et Salvatorem nostrum non crucifixissent, isti duo versus in bonam partem exponi potuissent (possent) » etc. S. Bruno Ast. 164, 811. — Non solum autem pudefiant Deicidae, sed etiam, ut dicitur

Versu 5° instabiles fiant et angelus Jehovae repellat eos, quando poscunt auxilium a Deo, nec offerat orationes eorum Deo. De priore

[illegible] vocat a Bruno Astensi « hoc enim pulvis vento removere non potest, sed virga quercina excutitur et ventilatur ; ita peccatores [illegible] impium sentiens ex vobis, dicit Dominus, depereunt » Sed sed non de quovis pulvere hic agitur est, sed de pulvere quem ventilando secernitur a frumento, boni scilicet a malis separandis ut ps. 1, 4 Matth. 3, 12 Luc. 3, 17 In aspectu hominum comparatur Apoc. 6, 13 de non exaudita oratione ps. 18 (17), 42. — *Continuatur*

Versus 6. *imprecatus* : « Quasi enim illorum vias bene novisset, quas non nisi exacerbatas semper in errore suo et ad lacunam et perditionem tendunt, semperque cadentes et in cassibus deliquentes, ut bonum aliquod agendum surgere non valent » S. Bruno Ast. 151, 512 — De angelis bonis infigendis nulla exstat commentatio quae dicatur in Exodo de angelo exterminatore, et quae dicuntur in Apocalypsi de equitibus in equis rubris, nigris, pallidis 6, 3 4 etc. — *Judaei poenas merentur, quas exacto judicio praesignatur ut describitur in*

strophe tertia.

V. 7 *Quoniam sine causa absconderunt mihi foveam retis sui.*
Sine causa fodierunt foveam animae meae.
V. 8 *Veniat ei contritio quam ignorat (nesciat),*
Et rete quod absconderit, capiat eum.
Cum tumultu incidat in illud.

V. 7 *Hic* valet de principibus Judaeorum, qui per traditorem Judam Iscariotem Salvatorem oppressum et ante tribunal adduxerant, ubi « quaerebant falsum testimonium contra Jesum, ut eum morti traderent » Matth. 26, 59 « Volebant occidere Dominum Jesum Christum. Tanta opera bona feci vobis : propter quod horum me vultis occidere ? Portabit omnes infirmos eorum, curavit omnes languores eorum praedicavit regnum coelorum, non tacuit vera eorum, ut ipsa potius ea displicerent, non medicus, a quo sanabantur. His omnibus curationibus eius ingrati, tanquam multa bona pharmaca tenentes a medicum, qui venerat curare eos, exceperunt consilium perdendi eum » S. Augustin. in Breviar. hora VI in Parasceve. Merentur ergo imprecationem, nisi se convertant, quam Deus contra eos pronuntiat

Versus 8, de quo Hesychius presbyter adnotavit : « In Judam proditorem mentem in populum Judaeorum, atque insuper in dia-

bolum ipsum, hoc dictum est. Nam Judas quidem in laqueum colli incidit : populus vero Judaeorum, cum illaqueare putaret, illaqueatur, et sua ipsius captura comprehensus est. Similiter quoque diabolus, cum laqueum crucis excogitasset, per crucem regno suo excidit. » M. S. gr. 93. 1190.

Confundentur ergo inimici mei, ego autem gaudebo, dicit Orans in

stropha quarta, ultima primae sectionis.

V. 9. Anima autem mea exultabit in Jehova,
Gaudio maximo perfundetur de salute eius.
V. 10. Omnia ossa mea dicent :
Jehova, quis sicut tu,
Eripiens afflictum a fortiori eo,
Et pauperem et egenum a diripiente eum ?

V. 9. Loquitur hic Christus de glorificatione sua quae non tantum animam suam, id est, humanitatem suam, sed totum genus humanum, immo terram et coelum gloria et gaudio implebit. Quocum conferantur 16, 9-11. 69, 32-34. 109, 26-31. « Suae resurrectionis laetitiam praenuntiat, quae statim die tertia facta est, inferno ab ipsa Salvatoris anima expoliato, et corpore de sepulcro resuscitato. » St. Bruno Ast. 164, 813.

Continuat Servator loqui de eodem

Versu 10°, ubi ossa pro omnibus membris corporis posita sunt. Sicut enim omnia membra sanctissimi corporis Servatoris passura erant usque ad mortem eius, sic conveniens erat ut gloria et laetitia Redivivi perfunderentur, et glorificata et laetabunda quodammodo dicerent ad Deum : Quis est tui similis (Exod. 15, 11). Revera nemo facere potest talia miracula sicut tu fecisti eripiens me mortuum et Judaeis et Romanis et imperio mortis et donans me nova vita et immortali ! Cfr. Apoc. 1, 5. 18. 2, 8. Consulatur insuper Rhytmica oratio ad unumquodlibet membrorum Christi patientis et a cruce pendentis apud Migne S. l. 184, 1319-1324 et S. Joannis Damasceni hymnus in Dominicam Paschae Migne S. gr. 96, 839.

Sic versa indignatione initii in triumphum finalem, Patiens in *secunda sectione* eosdem percurrit affectus tribus in strophis. Nam post descriptam in prima et secunda flebili stilo malignitatem inimicorum et post petitum in initio tertiae Dei auxilium, in fine triumphum agit.

In quinta ergo stropha queritur de testibus violentiae et ingrato corde inimicorum, cui opponit cor suum commiserans de eorum malis.

V. 11. Insurgunt testes violentiae,
Quod non novi, interrogant me.
V. 12. Reddunt mihi malum pro bono,
Orbitas (venit) in animam meam.
V. 13. At ego, cum aegrotarent ipsi, vestimentum meum erat saccus,
Affligebam in ieiunio animam meam,
Et oratio mea in sinum meum revertebatur.

V. 11. Omnino concordat sensu hic versus cum argumento psalmi, prout illud supra 41 indicavimus, cum versu 7°, et cum 69, 5. Inimici Domini Nostri in eius sanctissima passione et clam et aperte ei vim intulerunt, et ex eo confessionem scelerum extorquere volebant, quae non solum nunquam commiserat, sed quae abhorrebat. Revera erant testes violentiae, non tantum eius sacratissimo corpori, sed etiam eius sanctissimae animae et calumniis et interrogationibus maximam violentiam inferentes. Quisnam describere posset, quot et quanta tormenta sustinuit tunc sacratissimum Cor Jesu? Bene s, Bruno Ast. : « Venerunt enim, inquit, sicut in Evangelio legitur (Matth. 26, 60. Cfr. Joan. 2, 19), multi falsi testes ante ipsum, quorum testimonia convenientia non erant. Et novissime venerunt quidam, qui interrogantes eum, dicebant : Nonne tu dixisti, quia destrueres hoc templum manufactum et in tribus diebus illud reaedificares? » (Matth. 26, 60, quocum conferatur Joan. 2, 21) 164, 813. « Hic manifeste Judaicam impietatem memorat Christus, et iniuriarum quibus adversus se debachati sunt, facit catalogum. Calumniati sunt ipsum coram Pilato adductum Judaeorum principes. Nonnullos etiam advocarunt falsos testantes.....Tum ipsi causam rogati quamobrem postulantes clamarent : Tolle, tolle, crucifige eum, (Joan. 19, 15), mentiti sunt dicentes : Hic vetat tributa Caesari pendere, et turbas commovet (Luc. 23, 2. Joan. 7, 12). Imo et ante crucis supplicium calumniati eum varie fuerant, nam subditis sibi turbis aiebant : Si hic homo esset a Deo, Sabbatum non violaret (Joan. 9, 16). Affirmabant etiam eum esse daemoniacum et furere (Joan. 10, 20), cibi vinique appetentem (Matth. 11, 19), denique vi Beelzebubi patrare miracula (Matth. 12, 24). » S. Cyrill. Alex. 69, 902. — Continuat Christus lamentationem

Versu 12°, qui omnino concordat cum 109, 5. Bene S. Cyrill. Alex. : « Bene merentem conviciis lacessebant ; exhortantem ad salutem lapidibus impetebant ; sapientissime docentem et ad pietatis semitas inducentem iniuriis ac contumeliis miseri afficiebant ;

atque insuper insidiabantur, ut etiam sterilitatem ipsi afferrent, id est, ut eum non solum amicis, sed etiam omnibus quibusvis discipulis orbatum, eum ut peripsema hominum neque vita dignum constituerent. » Tantae duritiae opposuerat Christus commiserationem suam tenerrimam cum eis ut dicit

Versu 13°, quocum consentiunt 69, 11 et 12. Dubitandum non est, quin Christus pro Judaeis, qui tempore vitae eius mortalis semper aegrotaverant, cum semper in periculo versarentur reiiciendi Messiam, multa poenitentiae opera fecerit, multum ieiunaverit, multum oraverit. Nam quod pro omnibus et singulis, hoc primo loco pro Judaeis fecit. Quod certe non sat a fidelibus pensatur. Magis adhuc exaggerat benevolentiam Christi in Judaeos et horum malevolentiam in Christum sequens

stropha sexta.

V. 14. Tamquam si ageretur de amico, tamquam de fratre mihi, incedebam;
Tamquam lugens matrem, pullatus et incurvatus ambulabam.

V. 15. Ipsi autem in miseria mea laetantur et congregantur.
Congregantur adversum me plebeji et obscuri,
Lacerant famam meam incessanter.

V. 16. Cum turpibus placentae scurris
Frendunt contra me dentibus suis.

Quanta erat teneritudo Cordis Jesu pro Judaeis, quanta rusticitas Judaeorum contra Servatorem !

V. 14. Hic versus describit, quanto amore Cor Jesu complectebatur populum Judaicum qui erat ei sicut amicus ob communitatem bonorum spiritualium, sicut frater ob communitatem bonorum temporalium, et sicut mater ob communitatem generationis. Ad hunc versum illustrandum optime facit quod narrat s. Lucas 19, 41 : « Et ut appropinquavit, videns civitatem flevit super illam dicens : Quia si cognovisses et tu, et quidem in hac die tua, quae ad pacem tibi ; nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis » etc. Quantum ergo amabat Cor Jesu populum suum, hic autem magis insensatus quam bruta animalia nolebat agnoscere dominum suum Isai 1, 3.[1]) — Qua de re lamentatur amabilissimus Salvator

Versu 15°. Ad hunc versum plene explanandum hic poni deberet

1. Omnino aliter Synagoga affecta describitur a Cantico Cantic. 8, 1-2. Tempora mutantur et nos mutamur in eis . Utinam in melius !

tota historia Passionis Domini, quod tamen nimis longum esset. Continuatur idem argumentum

Versu 16°, qui similis est versui 13° ps. 69. Herodes et Pilatus. Avertens se ab hisce indignis hominibus, vertit se Christus in *septima stropha*, ultima secundae Sectionis, ad Deum, eum interrogans, quanto tempore talia permittat, eique laudem promittens.

V. 17. Adonai, quousque adspicies?
Fac redire animam meam a devastationibus eorum,
A leonibus unicam meam!
V. 18. Confitebor tibi in Ecclesia magna,
In populo magno laudabo te.

V. 17. Magni affectus est, quod ait: Adonai, tu qui attingis a fine usque ad finem et fortiter suaviterque disponis omnia, quoadusque otiosus, ut ita dicam, adspicies machinationibus inimicorum meorum contra me nec fers opem et depellis illorum improbitatem? Item quod dicit: Reduc animam meam a devastationibus eorum, id est, libera me a calamitatibus quas mihi inferunt, spoliantes me bono nomine et omnibus notis et amicis, ita ut sim quasi urbs direpta regioque vastata. Pergit instantius: Reduc unicam meam (22, 21), unicam enim habeo animam, reduc illam et libera eam a leonibus, id est, a tam potentibus et tam saevis inimicis. Instantissima est haec oratio divini Salvatoris, proveniens e Corde eius amaritudine repleto. Petit ergo hic Christus glorificari. Glorificatus autem promittit, se magnificas laudes deo oblaturum

Versu 18°, qui simillimus est versibus 23° et 26° psalmi 22ⁱ et vers. 31-37 ps. 69. Christus laudat Deum in Ecclesia catholica praecipue per sanctissimam Eucharistiam: « Confitebor tibi et laudabo te per fideles meos in Ecclesia magna, in Ecclesia catholica, et per universum mundum diffusa. » St. Bruno Ast. 164, 815. De Missae sacrificio autem bene dicit Concilium Tridentinum: « nullum aliud opus adeo sanctum ac divinum a Christi fidelibus tractari posse ». Sess. 22. decret. de observ.

Bis percursis affectibus a querimonia ad gaudium, etiam in *tertia Sectione* Orans eandem perficit viam. Constat tertia Sectio quatuor strophis. In prima petit Orans, ne laetari possint inimici de ruina sua, in secunda invocat Deum in adiutorium, in tertia petit, ne triumphent inimici, in quarta, ut semper boni gaudere possint. — In

octava ergo stropha petit Orans, ne laetari possint inimici sui, qui mali sunt, de ruina sua.

V. 19. Ne laetentur de me inimici mei mendaces,
Osores mei sine causa innuant oculo.
V. 20. Quia non pacem loquuntur,
Sed contra quietos terrae verba fraudum cogitant.
V. 21. Et dilatant adversum me os suum :
Dicunt : Euge, euge, videt oculus noster.

V. 19. Ne permittas, orat Christus ad Deum, ut inimici mei de successu contra me innocentem triumphare possint, voluptatem quam de malo mihi insonti irrogato percipiant, nutibus oculorum, modo hominum nequam, testentur Prov. 6, 12-13. Verba שֹׂנְאַי חִנָּם citantur a s. Joan. 15, 25, ut in Christo tempore passionis eius adimpleta, ut supra diximus. « Quia enim iam totus mundus credit in Christum, ideo Judaei neque possunt, neque audent insultare Christo. Illi autem annuunt oculis (secundum lectionem Vulgatae v. 20), malitiam celant in corde, et in oculis benevolentiam ostendunt. Hoc enim faciebant Judaei, qui Salvatoris nostri doctrinam multoties laudabant, et oculis et tota facie eius verbis annuebant, et quomodo in sermonibus eius eum caperent, cogitabant. » S. Bruno Ast. 164, 815. Sed secundum contextum hic sermo est de nutibus oculorum ad manifestandum gaudium de malo inimici.

V. 20. Confirmat Christus petitionem suam malignitate inimicorum. Per litoten locutio negativa ponitur pro contraria affirmativa cum emphasi, ut Exod. 20, 7 : Non innocentem habebit, quod aequat, gravissime puniet, cfr. ps. 5, 5. 9, 11. 30, 2. Loqui autem pacem aequat proferre eiusmodi sermones qui pacem vel conservant vel labantem vel plane excussam instaurent. Alexandrinus et Vulgata legerunt לִי pro לֹא. Symmach. autem habet : Οὐ γὰρ εἰς εἰρήνην λαλοῦσι, et Quinta : Ὅτι οὐκ εἰρήνην λαλοῦσι. « Mihi res est cum iis, qui ne verbum quidem pacis, amicitiae, benevolentiae proferunt ; hominibus duris, efferis, violentis, implacabilibus, qui vias duntaxat scrutantur fallendi ac nocendi » (Calmet), sicut ii de quibus queritur psalmus 120. Pergit Christus : Et contra hominem pacis studiosissimos dolos concinnant, de quo plura vide supra. Certe Christus nihil aliud intendebat nisi pacem instaurare in terra singulis cum se ipsis, hominibus inter se et generi humano cum Deo.

Continuat Christus questum

Versu 21°. Dilatant, inquit, contra me os suum risu atque cachinno (22, 8), dicentes הֵאָח הֵאָח quod est interiectio gaudentis, aut de casu adverso adversarii exultantis, ut patet e Job. 39, 25,

ubi de equo in pugnam profecturo adhibitum est, et e ps. 40, 16. 70, 4, ubi de laetitia inimicorum usurpatum est. Ut obiectum ad רָאֲתָה עֵינֵנוּ subintelligendum est : quod iam diu desideravimus, scil. Christum convictum esse criminis et proinde reum mortis. עֵינַיִם communiter cum singulari verbi construitur ob unitatem visus. Notum est ex evangelio, quot et quanta crimina Scribae et Pharisaei obiiciebant Domino nostro non solum ante passionem eius, sed praecipue quando in passione sua ducebatur ad diversa tribunalia, quod etiam facere pergebant postquam eum morti tradiderunt. Quod non amore Dei et proximi ducti, sed propria gloria inflati et ad captandam benevolentiam Romanorum et plebis faciebant, spretis iustitiae legibus. Quisque ergo sibi statuat, quantum hae bestiae gavisae sint de doloribus et morte inflictis Domino Nostro, et quantum propterea necesse erat Deo vindicare innocentiam. Certo tenerissimum Cor Jesu immensos dolores sentiebat ob tantam malitiam. Provocat propterea Christus Deum, ut festinet ad se iuvandum in

nona stropha.

V. 22. Vides Jehova, ne sileas :
Adonai, ne longe maneas a me.

V. 23. Excita te et evigila ad iudicium meum,
Deus mi (Elohai) et Domine mi (Adonai), ad litem meam.

V. 24. Judica me secundum iustitiam tuam, Jehova, Deus mi (Elohai)!
Et ne laetentur de me.

V. 22. Infert ergo Christus : Quia inimici mei tam maligni sunt, ne taceas, id est, ne me invocantem responso bono indignum habeas, ne sis procul a me auxilio tuo. Docet hic Servator noster, Deum velle orari et exorari, sicut iam luctans cum Jacob Gen. 32, 25 (24)-33 (32) ostenderat, unde oportet et nos veros Israëlitas evadere. Pergit Christus adhuc instantius orare

Versu 23°, provocans Deum, ut expergiscatur et evigilet, id est, se monstret ut Deum vivum, qui curam agit de rebus hominum. Expergiscatur ergo et evigilet, dicit Orans ad Deum, in iudicium meum et in litem meam. Qua in oratione vocat Orans Deum אֱלֹהַי utpote illum, cuius sanctitatem inimici Orantis agnoscere cogantur, et אֲדֹנָי, cuius potens auxilium Orans mox experiri possit. Urget dictum

Versu 24° dicens : Eo magis decet, ut me adiuves, quia tu iustus es et iustitiam amas, ergo ne permittas, ut illi scelerati scelerate gaudeant de me. Certe tam fortis oratio apta videri debet ad emollienda etiam corda obstinatissima, et tamen non convertit cor Judaeorum, neque cavet defectionem tot Christianorum a Christo. Maxima ergo est malitia hominum. —

Instat adhuc magis Orans in *decima stropha*

V. 25. Ne dicant in corde suo : Euge ! desiderium nostrum !
Ne dicant : Devoravimus eum.
V. 26. Pudore afficiantur et erubescant pariter
Gaudentes de malo meo,
Induantur pudore et erubescentia
Magnificantes (opus suum) adversum me.

V. 25. Revera si Christus, quem Judaei occiderant, non resurrexisset, et Ecclesia fundata non esset, inimici Christi loqui potuissent et gaudentes locuti essent, sicut in hoc versu dicitur, at cum Christus resurrexerit et Ecclesia fundata sit et perseveret, maximo pudore affecti sunt et afficiuntur continuo Judaei. Bene Dante cantat :

Però d'un atto uscir cose diverse ;
Ch'a Dio ed a, Giudei piacque una morte ;
Per lei tremò la terra, e il ciel s'aperse.
Parad. 7, 46-48.

V. 26. Bene describitur hic malitia Judaeorum : 1° verbis : Gaudentes de malo. Non gaudent ergo de reparata iustitia per iudicium Servatoris, sed de malo quo adversarium innocentem afficere potuerunt. Quanta differentia inter cor eorum et cor sacratissimum Jesu, quod etiam doloribus affectum eos salvare intendebat. — 2° verbis : magnificantes opus suum adversum me. Non est eis cordi gloria Dei, sed gloria propria, non victoria iustitiae, sed propriae obstinationis, non bonum populi, sed protectio Romanorum. Propterea deceperunt et se ipsos et alios et in foveam ceciderunt ut caeci, et illi qui eos sequebantur. Denique destructione Jerusalem patefacta et punita est malignitas eorum. Confusis malis, triumphum agat Iustus et Deum laudet, prout dicit *stropha undecima*.

V. 27. Laudent et exultent qui volunt iustitiam meam
Et dicant semper : Magnificetur Jehova
Qui vult pacem servi sui.

V. 28. Et lingua mea loquetur iustitiam tuam,
Omni die laudem tuam.

Similes sunt psalmi 22[i] versus 23-32, psalmi 109[i] versus 30-31, psalmi 69[i] versus 31-37.

Versu 27[o] boni Deum laudare et exultare dicuntur, qui cognoscentes divinam dispositionem de passione Servatoris, ob tam admirabile consilium Deum magnificant, congratulantes cum divino Servatore de eius glorificatione. Quantum coelum et terra exultent de Jesu Christo constituto rege rerum humanarum, et quanta exinde Deo gloria proveniat, exibet Apocalypsis in tota visione secunda septem sigillorum 4, 1-8, 1, praecipue a 5, 1-14. Claris verbis etiam dicit s. Paulus in ep. ad Philippenses 2, 5-11. Laudant Christiani Deum trinum quovis actu proveniente a Dei amore, praecipue celebratione ssmae Eucharistiae, unde exhortatur s. Clemens : « Concorditer in unum congregati, communi consensu tanquam ex uno ore ad ipsum clamemus totis viribus, ut participes fiamus magnarum et inclytarum promissionum eius. » Migne S. gr. 1. 278. Libet etiam apponere verba s. Germani Constantinopolitani : « Liquido scientes, non aliunde nobis spem provenire salutis nisi ex pia fide et confessione quae in unum Deum, qui in Trinitate adoratur, efficitur....., semper laudem ipsius Dei qui fecit nos, in ore habemus, et exaltationes eius in faucibus ferimus, omnisque plebs Christi ad perceptionem sanctissimi corporis eius et sanguinis, per quae memoriam mortis eius et resurrectionis secundum ipsius celebramus traditionem ; insatiabili desiderio et divinitus mota industria, perurgetur magis, quam cervus ad fontes aquarum. » Ibid. 98, 183. Et verba Bessarionis : « Τὰ θεῖα πρόσωπα τῆς Τριάδος οὐ μᾶλλόν εἰσιν ἕν ἢ τρία· Τὸ μὲν τῇ οὐσίᾳ, τὸ δέ γε ταῖς ὑποστάσεσιν, εἴτε καὶ ἰδιότησιν. » Ibid. 161, 579. Consulatur etiam Tertulliani liber adversus Judaeos. Migne S. l. 2, 633-682.

Versu 28[o] etiam Christus ipse glorificatus iustitiam et laudem Dei omni die celebrare praedicitur, quod facit in unione cum populo sancto in terra et in coelo, sicuti patet ex explicatione versus praecedentis. « Dicitur etiam Christus, spiritalis instar victimae, Patri offerre, glorificandi causa, quotidie laudem suam. » St. Cyrill. Alex. 69, 911. Cfr. Apoc. 5, 6 ἀρνίον ἑστηκὸς ὡς ἐσφαγμένον, ps. 16, 7. 22, 26 etc.

Numerus undecim stropharum, coalitus e quatuor et septem, indicat, potentiam mundi superatum iri foedere Dei.

Ps. 41 (40). ORATIO CHRISTI CRUCIFIXI BEATUM DICENTIS QUEMVIS MEDITATIONI PASSIONIS SUAE DEDITUM. ALITER PSALMUS STABAT MATER.

Κηρύσσομεν Χριστὸν ἐσταυρωμένον, I Cor. 1, 23.

Pulcherrime dicit S. P. N. Benedictus (in s. reg. c. 19) : « Sic stemus ad psallendum, ut mens nostra concordet voci nostrae. » Ad quod faciendum psalmos meditari oportere, nemo inficias ibit. Nostris diebus id a servis Dei eo difficilius, sed etiam eo meritorius praestatur, cum sacra psalmodia a multis vilipendatur et sint etiam inter praesules Ecclesiasticos, qui, seposita Scriptura, totos se dedant vel literis humanioribus, uti vocant, vel rebus physicis vel administrationi rerum temporalium et sic subditos potius deterreant a studio sacrarum literarum quam ad illud incitent. Nos tanto malo pro modulo nostro obviare intendentes, opus nostrum in psalmos continuantes, accedimus ad explanandum psalmum 41.

De hoc psalmo s. Cyrillus Alex. adnotavit : « Nonnulli ad Davidem retulerunt praesentem psalmum ; alii res Ezechiae hic praedici aiunt, quomodo nempe ob elationem suam in morbum inciderit, quomodoque amici erga ipsum affecti fuerint [1], et quod ob suam erga pauperes curam, sanitatem sit consecutus. Sed enim neutrum admittere sinit nos divinum Evangelium. Nam cum Dominus dixerit : « Ut adimpleatur Scriptura, *qui panem mecum manducat, levavit contra me calcaneum suum* » (Joan. 13, 18), demonstraritque, nemini nisi sibi hunc psalmum congruere, audax temerariumque consilium existimo, si quis aliud argumentum configere velit ». Migne S. gr. 69, 991. — Quibus verbis Sancti perpensis et perspecto psalmi argumento, dicere tenemur, psalmum hunc esse orationem Jesu Christi crucifixi, beatum dicentis omnem qui eum vera commiseratione prosequitur, querentis de malevolentia inimicorum, et petentis a Deo glorificationem eamque pro certo exspectantis. Et cum nemo tam intime doluerit cum Servatore, sicut Mater eius sanctissima, ad eius stans Crucem, sub hoc respectu hunc psalmum non immerito vocare possumus psalmum Stabat Mater [2].

1. Theodorus Mopsuestenus scilicet et eius sectatores.
2. « Dopo la beatissima Vergine e s. Giovanni, asserisce Bartolomeo da Pisa, è questo il santo che più ha compatito le sofferenze di Gesù Christo. » Le Monnier, Nuova istoria di San Francesco d Assisi. Assisi, 1895. Pag. 446.

Finis psalmi est excitare in cordibus nostris veram commiserationem cum Christo patiente, ut fructuum eius passionis participes fiamus.

Exhibebimus I locos discrepantes sicut in praecedentibus psalmis, II continuam psalmi explanationem.

I

Versu 1° לַמְנַצֵּחַ aequat praecentori sicut et alibi diximus. מִזְמוֹר nos accipimus pro designatione carminis sublimis, et subtilis sicut pariter alibi diximus. Inscriptio לְדָוִד in fronte 74 psalmorum occurrit, qui propterea illum sanctum regem habent auctorem humanum, cuius elogium texit Ecclesiasticus 47, 1-13. Insuper testibus Act. 4, 25, etiam ps. 2[i] auctor est.

Versus 2[us] ex hebraica veritate sic vertatur : Felicia illius qui animum advertit ad aegrum, in die calamitatis eripiet eum Jehova.

Versus 3[us] : Jehova custodiet eum et vivificabit eum, ut beatificetur (Keri וְאֹשַׁר praeferatur לוֹ Ketib וְאָשַׁר) in terra, et nequaquam trades eum in aviditatem inimicorum eius.

Versus 4[us] : Jehova fulciet eum super lecto aegritudinis, omne stratum eius vertes in infirmitate eius.

Versu 7° adest superfluum et post foras : post secundum loquebatur punctum esse deberet.

Versu 8° יַחַד in initio simul vertatur vel una : verba sunt praesentia.

Versus 9[us] : Verbum Belial (flagitium) ferruminatum est ei, et eo (אֲשֶׁר) decumbens (proprie decumbit), non amplius resurget.

Versus 10[us] : Etiam vir pacis meae in quo speravi, comedens panem meum, extulit contra me calcaneum.

Versus 11[i] initium : In hoc novi, te favere mihi, quoniam etc.

Versus 13[us] : Et me in integritate mea sustentas, et collocas me coram te in sempiternum.

Sic exhibitis locis discrepantibus, transeamus ad commentarium perpetuum.

II

Jam diximus, psalmum esse orationem Christi crucifixi, et quidem valet hoc de toto psalmo, quia in toto psalmo idem loquitur : cui sententiae supra favebat s. Cyrillus, sed etiam favet

s. Ambrosius scribens : « Ideo, ipsi David, quasi ei qui solus ex omnibus in sua carne nostra peccata suscepit, qui solus Dei Agnus peccatum totius mundi abstulit, qui solus Chirographum decreti sanguinis sui effusione delevit » etc. Migne S. l. 14, 1119. Et s. Bruno Ast. dicens : « Ego, inquit propheta, psalmos compono, de me tamen intelligendi non sunt. » M. S. l. 164, 840. Quam sententiam etiam tenet Theodoret. Cyr. M. S. gr. 80, 1161. Psalmus quatuor constat strophis. In earum prima crucifixus quemvis beatum dicit qui ipsum vera cordis compunctione prosequitur, in secunda queritur de inimicorum malevolentia, quod continuat in tertia strophe. In quarta denique petit glorificationem suam eamque pro certo exspectat.

Prima stropha. Crucifixus ipse omnem beatum dicit qui ipsum cordetenus commiseratur : « Verus amor est fecisse suas angustiati angustias. » S. P. Chrysolog. M. S. l. 72, 232.

V. 2. Beatus est recte sentiens de aegro,
In die mala eripiet eum Jehova.
V. 3. Jehova custodiet eum et vivum eum conservabit,
Ut beatus dicatur in terra,
Et nequaquam trades eum aviditati inimicorum eius.
V. 4. Jehova fulciet eum super lecto aegritudinis,
Omne stratum eius vertes in infirmitate eius.

Notamina. Ad v. 2. Quia crux fuit lectus, ubi Christus patiens exspiravit, recte Christus ipse a psalmista hoc in loco דַּל aegrotus vocatur. De quo s. Bruno Ast. adnotavit : « Egenum et pauperem Salvatorem nostrum dicit. » 164, 840. Et s. Ambrosius : « Non ergo in divitiis suis, sed in nostra passus est paupertate. Ideoque non plenitudo divinitatis, quae in illo corporaliter habitat, ut scriptura testatur (Coloss. 2. 9), sed caro passa est. » 14, 1121. Bene etiam ponitur hic מַשְׂכִּיל quod vocabulum eum designat, qui non superficiali, sed profunda et subtili contemplatione rerum conceptus sibi format. Revera beatus est ille qui in Christo crucifixo non tantum hominem purum, sed Dei Filium fidei oculo intuetur.

Vexilla regis prodeunt,
Fulgit Crucis mysterium
Quo carne carnis conditor
Suspensus est patibulo.

« Quid autem inter omnia opera Dei, in quibus humanae admirationis fatigatur intentio, ita contemplationem mentis nostrae et

oblectat et superat, sicut passio Salvatoris ? » S. Leo M. in Breviar. Domin. Palm. — Tum quatuor ponuntur ad describendam beatitudinem eius qui sincero corde crucifixum colit, dicitur enim hic : 1° eripi a Jehova in die mala, 2° felix futurus in terra, 3° non tradi aviditati inimicorum, 4° mire recreari in aegritudine. Quae, ut mihi videtur, primo loco dicta sunt de Theocratia Judaeorum. Destructa haec non fuisset, si, postquam Christum crucifixerat, se ad eum convertisset, sed gloriose aucta esset in Ecclesiam catholicam. Neque mirandum est, quod de ea quasi de individuo sermo est, nam haec personificatio non rara est in scriptura. Qua de causa etiam v. 4° de eius aegritudine sermo est, quod intelligendum est de eius oppugnatione per Romanos. Revera Christiani cum Jerusalem oppugnaretur, Pellam fugientes mire conservati sunt. — Possunt autem et debent praedicta intelligi etiam de quavis prosperitate proveniente singulis christianis e pia compassione cum Christo crucifixo. Fastigium beneficiorum Dei est, ut quis liberetur in die iudicii, quod certo eveniet cuique christiano dolenti de peccatis suis et in amore crucifixi morienti. « Dies iudicii dicitur dies malus, quia in ipso puniendi sunt mali. In illa die illi securi erunt, qui fidem Christi susceperunt, et prophetis, et apostolis crediderunt, et de Christo scripturas sanctas intellexerunt. » S. Bruno Ast. 164, 840.

Quaerens me sedisti lassus,
Redemisti Crucem passus,
Tantus labor non sit cassus !

Verus crucifixi cultor autem iam in hac terra beatus erit, ut dicitur

Versu 3°. De qua re convenientissime scripsit Theodoretus Cyrensis : « Non solum futuris bonis perfruetur, sed etiam in hac vita divinam opem consequetur. » M. S. gr. 80, 1163. Et s. Ambrosius : « Vobis opus est et precibus quotidianis, et advocatione Principis sacerdotum... Hic... orat pro eo qui intelligit et credit in Christum, et dicit : « Dominus conservet eum, et vivificet eum, et beatum faciat eum ». Conservet a periculis, vivificet eum in mortis tenebris constitutum, beatum facere bonorum operum accessione dicetur. » M. S. l. 14, 1123. In qua citatione praecipue ultima verba notentur, nam cum in hac vita etiam iusto diversa mala, morbi et mors obtingat, ille prae omnibus beatus dicendus est, qui his omnibus ad augenda merita pro aeternitate utitur. Sic

tectus protectione divina, cfr. 5, 13 et totum ps. 91, transibit pius illaesus a visibilibus et invisibilibus inimicis, qui ei semper nocere inhiant, per pericula huius vitae et perveniet sanus et salvus ad beatam aeternitatem, quod dicitur verbis : « Et nequaquam trades eum aviditati inimicorum eius ».

V. 4. Optime ad hunc versum adnotavit Theodoret. Cyrensis : « Ab omni, inquit, aegritudine liberabit eum, et in bonam corporis valetudinem morbum permutabit : Hoc enim « vertis in infirmitate stratum », pro mutasti posuit. » S. gr. 80, 1163. Sed quia hoc non fit in terra, tenetur Deus hoc suum verbum adimplere transferendo animas servorum suorum in beatitudinem coelestem et resuscitando corpora eorum ad gloriam in fine mundi. Specimen exhibet nobis gloriosa mors sanctorum. Sic ex. g. legitur in officio Andreae Ap. : « Cum pervenisset beatus Andreas ad locum, ubi Crux parata erat, exclamavit et dixit : O bona Crux, diu desiderata, et iam concupiscenti animo praeparata ! securus et gaudens venio ad te, ita et tu exultans suscipias me, discipulum eius qui pependit in te. » « Justus si morte praeoccupatus fuerit, in refrigerio erit. » Sap. 4, 7. Consulas etiam Apocalyps. nostram pag. 776.

Optime Theodoret. Cyr. transitum huius strophae ad sequentem indicat verbis : « Post expositas remunerationes eius, qui hanc paupertatem (dicere debuisset humilitatem) admirabilem intelligit, ostendit nobis, quis sit qui hanc habuerit, et quomodo se in ipsa gesserit, ipsum docentem inducens et sua enarrantem. » 80, 1163.

Secunda stropha : Queritur Christus de inimicorum malevolentia.

V. 5. Ego dixi : Jehova, miserere mei !
Sana animam meam, quia peccavi tibi.
V. 6. Inimici mei dicunt mala de me ;
« Quando morietur, ita ut pereat nomen eius ? »
V. 7. Et si venit videre, vana loquitur,
Cor eius congregat iniquitatem sibi :
Egrediens foras, communicat eam aliis [1].

V. 5. Verbo אָמַרְתִּי acuitur attentio pro sequentibus. Reliqua huius versus verba non videntur congruere Salvatori, sed aptissime adnotavit Euthymius Zigabenus : « Certissimum quidem est, illum (Christum) nunquam peccasse, verum... quemadmodum victima, quae olim pro peccato immolabatur, iuxta legem peccatum in se

1. Ad sensum vertimus hanc lineam.

suscipiebat, quod una cum victima comburi dicebatur : ita et Christus pro nostris immolatus peccatis, in se ipsum omnia nostra suscepit peccata : nec secus ac si ipse peccasset, ad eorum remissionem et oravit et mortuus est ob summam nimirum atque ineffabilem eius misericordiam. » M. S. gr. 128, 462.

V. 6. Patet hic versus, si eum comparamus cum vita, et praecipue cum passione Domini Nostri. Nihilominus non pigeat audire verba s. Ambrosii : « Maledicebant, inquit, ei, scil. Salvatori, Judaei, mortem eius expetebant, insidiabantur, urgebant, crescentem quotidie gloriam eius operis non ferentes. Hoc ergo prophetia annuntiat, quod in Evangelio completum est : « Inimici mei dixerunt mala mihi : Quando morietur, et peribit nomen eius? » Amentes qui vitae auctorem mori posse credebant. » 14, 1125. Et Origenis : « Invisibiles addere debuisset : et visibiles, Salvatoris nostri inimici volebant ipsum occidere, ut gloriam nominis eius extinguerent : verum, nedum interierit, in nomine etiam Jesu flectetur omne genu, et omnis lingua confitebitur ei. Dicere quoque possis, ipsum pro discipulis orare » etc. 12, 1414. Et Apolinarii Laodicensis : « Molestias mihi excogitarunt improbi et infesti viri, Precati, quando vitae meae memoria evanescat. » M. S. gr. 33, 1370.

V. 7. Retinens comparationem crucis cum lecto mortis Salvatoris, pergit psalmista loquens de eis, qui tum ex praedictis inimicis tum fictis amicis venirent videre, quomodo scilicet se haberet. ראה etiam II. Sam. 13, 5. 6. IV. Reg. 8, 29 de invisendis aegris adhibetur. Qui autem ex praedictis veniebant videre Christum in Cruce pendentem, id non faciebant commiseratione ducti, sed ludibrii causa, ut gauderent interne et forsitan etiam externe de eius doloribus, ut confirmarentur in falsa sententia, eum esse seductorem, eum iure merito ad mortem damnatum esse, eum mox extinctum iri et tunc omnia de eo finem habere. Sic congregabant nequitiam in corde, et abeuntes eam aliis communicabant. Nos autem precemur :

Eja mater, fons amoris,
Me sentire vim doloris fac,
Ut tecum lugeam!

Continuatur idem argumentum in Stropha tertia.

V. 8. Simul adversum me susurrant omnes osores mei,
Adversum me excogitant malum mihi :

V. 9. « Verbum Belial ferruminatum est ei,
Et eo decumbens, non amplius resurget. »
V. 10. *Etiam vir pacis meae, in quo speravi*
Cum comederet panem meum, extulit contra me calcaneum.

Notamina. V. 8. Susurrant omnes inimici et ficti amici mei unus ad alterum (הִתְלַחֵשׁ ut II. Sam. 12, 19) peccata mea et poenas mihi a Deo inflictas et infligendas, pessima de me cogitant. « Cum sceleratis reputatus est. » Isai. 53, 12. Malam opinionem de me exprimunt

Versu 9° dicentes : Verbum Belial (cfr. Deut. 15, 9), id est, scelus nefandum, ferruminatum est ei, tenacissime adhaeret ei (cfr. Job. 41, 15. 16. Ps. 101, 3), ita ut ab eo se liberare non possit ac propterea nunc decumbens, certo non amplius resurget, id est, actum est de Christo et de nomine eius. —

Bene ergo quidam pius auctor sic Christum
introducit loquentem :
Sustinui ad saturam ludibria, sibila, probra.

Eo tristior est conditio Crucifixi, quia non tantum inimici et falsi amici, sed etiam amicus intimus et abscondite et aperte ei insidias struxit, ut dicitur

Versu 10°. Vir pacis meae (אִישׁ שְׁלוֹמִי ut Abd. v. 7. Jer. 20, 10. 38, 22), quo nitebar, cui plurimum credebam ac confidebam, qui meus commensalis erat (cfr. 55, 15), hic extulit contra me calcaneum, ubi עָקֵב et de dolo et de impulsu caedendi intelligendum est, ergo et clam et aperte mihi insidias struxit, sicut revera fecit Judas contra Salvatorem. Sic etiam explicandum est : magnificavit super me supplantationem LXX et Vulg. id est, magnas et dolosas machinatus est contra me insidias. Dominus noster J. Chr. apud Joan. 13, 18 proditione Judae Ischariotis Ps. 41, 10 (alias versum quam in LXX) ὁ τρώγων μετ' ἐμοῦ τὸν ἄρτον ἐπῆρεν ἐπ' ἐμὲ τὴν πτέρναν αὐτοῦ impletum esse dicit. Quam cum tot saeculis, antequam eveniret, praedixisset per os Davidis, monstrat, quam avide desiderabat conversionem Judae, et quam inique hic egit. Item cum haec verba dicta sint a Davide ex persona Christi, necesse est, ei (Christo scil.) totum psalmum attribuere, quia in toto psalmo unus loquitur, et habere totum psalmum pro mere messianico.

Magna revera fuit malitia Judae, nam « fuit dux eorum, qui

comprehenderunt Jesum », ut dicit s. Petrus in Act. 1, 16, ubi idem Apostolus etiam expressis verbis testatur, oportuisse hanc scripturam impleri, quam praedixerat Spiritus Sanctus per os David de Juda, ubi tamen non de coarctatione libertatis humanae, sed de necessaria punitione mali sermo est. Quocum conferatur Joan. 17, 12 et ps. 109, 8. Christus autem quamvis praesciret proditionem Judae, elegit eum in Apostolum et sustinuit eum in societate sua, monstrans per hoc, se revera velle eius salvationem, nec ei gratiam, sed cooperationem cum gratia defuisse, et ut eum haberet testem innocentiae suae. « Christus habuit adversarios et oblocutores, et tu vis omnes habere amicos et benefactores ? » De Im. Chr. l. 2. c. 1. n. 5.

Pergit Crucifixus invocare Dei adiutorium super se, ne inimici gaudere possint de se, in Stropha quarta.

V. 11. Tu autem, Jehova, miserere mei et resuscita me,
Et retribuam eis.
V. 12. In hoc cognosco, te delectari de me,
Quod non gaudebit inimicus meus super me.
V. 13. Me utique in integritate mea sustentabis
Et in aeternum me coram te collocabis.

Notamina. V. 11. Petit crucifixus resuscitari. S. Ambrosius de prima linea huius versus scripsit : « Quod utique non quasi de resurrectione dubitans dicit, qui in potestate habebat dicere : « Solvite templum hoc, et in triduo resuscitabo illud » (Joann. 2, 19), sed formam dat homini, ut misericordiam a Deo, et resurrectionem de Deo speret. . . Resuscitari se, hoc est, corpus suum poscit. » M. S. l. 14, 1134-1135. Et Hesychius Hierosolymitanus de secunda linea : « Non quod quia mortem ab ipsis sit passus, vindictam eis referre velit, hoc dicit (ipse enim crucis tempore dixit : Pater, dimitte illis peccatum Luc. 23, 34), sed cum sine personarum acceptione et iustum Patris iudicium vidisset in homicidas istos decretum, idcirco tanquam idem cum Deo ac Patre operetur, ait : Et ego retribuam eis, ut eamdem in utrisque operationem declaret. » S. gr. 93, 1194. Et addere debuisset : et quia convertere se nolebant. « Credant Judaei vel ex hoc Christi resurrectionem, quod vident se iam suscepisse suam mercedem. » S. Bruno Ast. 164, 842-843. Adeatur ps. 109 (108). Pergit Crucifixus apertius loqui de glorificatione sua in

Versu 12°. « Qua ratione ergo inimicus non est laetatus super

eum? Quia etsi mortem suscepit pro nobis, resurrexit tamen, et ipse insultavit inimico, cuius victoriam destruxit, et aculeum mortis infregit. » S. Ambros. 14, 1135.

Apertius adhuc anuntiat Salvator crucifixus

Versu 13° spem certam adiutorii Dei et glorificationis suae sempiternae indicans ut causam utriusque innocentiam suam, de quo S. Bruno Ast. : « Magna est, inquit, virtus innocentiae, quam ipse Dominus tantum commendat, ut ipsam suam humanitatem per innocentiam Deo placuisse ostendat. Talis enim illa humanitas facta est, in qua nullum locum habere potuisset macula peccati. Si enim talis non fuisset, cur prae caeteris Deo placuisset? His igitur verbis nos quoque ad innocentiam Dominus provocat ». 164, 843. De glorificatione autem Christi bene addit s. Ambros. : « Bene confirmatus in conspectu Patris dicitur in aeternum, quia apud Patrem semper est : et vere in conspectu eius, cuius splendor est gloriae, et imago substantiae. » 14, 1136.

Versus 14^us^ secundum Vulgatam non est pars praecedentis psalmi, sed finis primi Psalmorum libri secundum Hebraeos. Occurrit similis doxologia etiam in fine psalmorum 72, 89 et 106, ubi, secundum Hebraeos, secundus, tertius et quartus psalmorum liber clauditur.

Additur in hoc loco textui hebraico : ספר שני liber secundus.

« Benedictus Dominus Deus Israël », qui tanta aperuit mysteria « a saeculo et in saeculum », id est, ex infinito in infinitum : « Fiat, fiat. » S. Ambros. 14, 1140.

Ps. 109 (108). EVOLUTIO PRIMI VERBI CHRISTI IN CRUCE.

לֹא מַחְשְׁבוֹתַי מַחְשְׁבוֹתֵיכֶם

Cogitationes meae non sunt cogitationes vestrae.

Isaï. 55, 8.

Psalmus hic, superans forsitan acerbitate omnes ceteros psalmos qui imprecationes continent, nihilominus inspiratus est a magno amore Filii Dei in Iudam et populum Iudaeorum. Nam praevidens Filius Dei, se ut Messiam reiectum iri ab eis, mala maxima exinde scaturientia, e persona sua per prophetam David hoc psalmo longo tempore antequam evenirent praedicere fecit, ut ea eis serie meditantibus caveret. Psalmus ergo hic est mere messianicus, dictus e persona Christi, et intendit cavere defectionem Iudaeorum a Messia. Ut tempus, quo Christus eum oravit, assignari potest illa hora sanctissima, quando pendens in cruce postquam verbis illis : *Pater, ignosce eis, quia nesciunt quid faciunt* obtinere non potuisset Iudaeorum conversionem, sed econtra eos magis ac magis obstinatos videret, *Patrem suum petiit, ut tantam obstinationem in malo puniret.* Crux ergo fuit sedes Christi pro salute generis humani orantis, sed fuit etiam sedes Christi imprecantis obstinationi in malo. — Dictis favet effatum Euthymii Zigabeni : « *Deum alloqui introducitur Christus in hoc psalmo* : « M. S. gr. 128, 1071. Et S. Athanasii : « *Praesens psalmus passiones Christi significat*, nec non supplicia de Iuda et de populo Iudaico sumenda » 27, 455. Et Eusebii Caesareensis : « Prorsus psalmus refertur ad passionem Christi, utpote qui passiones eius complectatur, *ut testificatur Actuum apostolorum scriptura* (1, 20 [1]). » 23, 1334. Revera si ponderamus *authenticam explicationem versus octavi huius psalmi factam a S. Petro* Act. 1, 20, item dictum Christi ipsius de filio perditionis Ioan. 17, 12, item si comparamus v. 25 cum Matth. 27, 39, denique inspecto totius psalmi tenore, qui optime convenit praedictioni ob impediendum defectum a Messia, minime autem Davidi, item sorti populi Iudaici, minime dubitare possumus psalmum accipiendum esse eo sensu quem indicavimus, et applicationem eiusdem tantum typicam ad Christum sapere rationalismum.

1. Γέγραπται ἐν βίβλῳ ψαλμῶν · « Γενηθήτω ἡ ἔπαυλις αὐτοῦ ἔρημος καὶ μὴ ἔστω ὁ κατοικῶν ἐν αὐτῇ ». Cfr. v. 8.

Exhibebimus primo locos discrepantes, secundo expositionem continuam.

I

Iudaeos non falsasse Sacram Scripturam, patet ex eo quod Christus eis hoc non obiicit.

Sunt in hoc psalmo sequentes loci discrepantes :

Versus 1^us^ לַמְנַצֵּחַ non est in finem, sed : praecentori, ut diximus supra. Postea sequitur in hebraico לְדָוִד, quod in Vulgata post psalmus positum est.

אֱלֹהֵי תְהִלָּתִי non est : Deus laudem meam; sed : Deus laudis meae. Differt insuper divisio versus in hebraico et in latino.

Versus 2^us^ divisionis hebraicae sic vertatur : Quia os peccatoris et os doli super me aperuerunt (פָּתָחוּ est Kal) : locuti sunt adversum me lingua mendacii.

Versu 3° ponatur bellant mecum pro expugnaverunt me, quia inimicitia perdurat.

Versus 4^us^ secundum hebraicam veritatem sic sonat : Pro dilectione mea adversantur mihi, ego autem sum oratio.

Versus 5^us^ sic : Et ponunt malum super me, id est onerant me malo pro bono, et odio pro dilectione mea.

Versu 6° עַל־יְמִינוֹ proprie est ad dexteram eius.

Versu 7° רָשָׁע proprie est peccator vel quid simile.

Versu 8° abundat et.

Versus 10^us^. Et vagantes vagentur filii eius et mendicent, et quaerant (victum longe) a ruinis suis.

Versu 11° יְנַקֵּשׁ est deprehendat vel obstringat, scil. iure hypothecae, non : scrutetur. יָגִיעַ est tantum singularis : laborem, id est hic, labore acquisitum.

Versu 12° מֹשֵׁךְ חָסֶד non est : adiutor, sed : servans gratiam, protendens benignitatem, ut 36, 11. Jer. 31, 3.

Versu 13° אַחֵר non est una, sed altera, et שְׁמָם nomen eorum.

Versu 14° אֶל־יְהוָה non est in conspectu Domini, sed apud Jehovam.

Versus 15^us^ : Sint coram Jehova iugiter et exscindat a terra memoriam eorum.

Versus 16^i^ finis (in Vulgata versu 17°) : Et persecutus est virum miserum et egenum et compunctum corde, ut eum occideret, ad afficiendum eum morte.

Versu 17° (Vulg. 18°) וַתָּבוֹאתוֹ non est : et veniet ei, sed : et venit ei, venit super eum, cum ו sit conversivum. Item וַתִּרְחַק est : et procul mansit vel fuit.

Versu 18° deest in Vulgata suum post vestimentum. Porro pro in ossibus melius poneretur in ossa.

Versu 19° יַעֲטֶה et יִתְגֹּרָה sunt Kal et propterea melius quam passivo verterentur : quo se involvit et : qua se praecingit.

Versu 20° פְּעֻלַּת est merces pro opere, praemium, hic punitio. שִׂטְנַי, sicut V. 4°, potius est adversantium mihi, quam : qui detrahunt mihi : Insuper מִיאֵה non est apud, sed a, indicans, unde veniat punitio.

Versu 21° טוֹב potius est bona, benigna quam suavis. Item הַצִּילֵנִי est : eripe me, fortius quam libera me.

Versu 22° חָלַל est confossum, transfixum, fortius quam conturbatum.

Versu 23° נִבְעֲתוֹתַי non est cum declinat, sed cum extenditur. Abundat praeterea et in Vulg. et אַרְבֶּה est singularis.

Versu 24° כָּשְׁלוּ non est infirmata sunt, sed : labunt, vacillant vel quid simile. Item כָּחַשׁ בִּשְׁמָנִין non significat : immutata est propter oleum, sed : emaciata est a pinguedine, id est, exhausta pinguedine : my flesh falleth of fatness.

Versu 25° abundat secundum et. Insuper duo verba futura in hebraeo pro nobis sunt praesentia, et רֹאשָׁם tantum est caput suum.

Versu 27° זֹאת est neutrum designans passionem Salvatoris. Vulgata pro eo habet haec ac si referretur ad manus tua. Quae postea sequuntur adhuc dependent a וְיֵדְעוּ et vertantur : te ipsum Jehovam ea (passionem Christi) fecisse, id est, Deo disponente, Salvatorem passum esse.

Versu 28° abundant : qui, et : in me. קָמוּ vertatur perfecto uti adimpletioni prophetiae respondens. Deest et ante confundantur, quod est indicativus.

Versus 29^{us} Induentur adversarii mei ignominia, et amicient se tamquam pallio pudore suo.

Versus 31^{i} finis : ut salvum faciat vel ad salutem procurandam a iudicibus animae eius.

II

Loquitur in hoc psalmo, sicut iam diximus, energia amoris contra obstinatam malitiam, in sex strophis.

In prima stropha petit Christus crucifixus Deum, ut se adiuvet et queritur de persecutoribus suis reddentibus odium pro dilectione.

V. 1. Deus laudis meae, ne taceas !
V. 2. Nam os peccatoris et os doli super me aperuerunt,
Locuti sunt adversum me lingua mendacii.
V. 3. Et verbis odii circumdederunt me
Et bellant mecum sine causa.
V. 4. Pro dilectione mea adversantur mihi,
Ego autem sum oratio.
V. 5. Et onerant me malo pro bono.
Et odio pro dilectione mea.

Inspiciamus singula.

V. 1. Dicit ergo hic Christus crucifixus ad Deum : O Deus gloriae meae, id est, o Deus qui es gloria mea (Jer. 17, 14), tu fuisti usque nunc gloria mea et propterea spero, te etiam in hac angustia, talem te mihi praebiturum esse, ut novum habeam argumentum gloriandi de te. Propterea rogo te : ne taceas (28, 2. 35, 22), ne sileas, sed monstra te ut Deum vivum et iudicem iustum, me glorificando. S. Athanasius Messiam ad hunc locum sic loquentem introducit : « Deus Pater meus, qui solus me cognoscis, gloriam meam manifesta qualis est ». M. S. gr. 27, 1138. Item : « Ait igitur Patri suo Christus : Etiamsi Judas cum me tradidit, visus sibi fuerit impedire laudem meam ; at tu me laudato, deitatique meae praebe testimonium ; quia non credidit Judas, me tradidit. » Ibid. c. 455. Et Eusebius dicit : « Qui vitae eius insidias parabant, summo studio satagebant, ut haec ipsa laus silentio prorsus mitteretur. Verum tu, inquit, Pater, ne sinas laudem taceri meam, quae in honorem et gloriam tuam concinnatur. » M. S. gr. 23, 1334.

Versu 2° indicat causam, cur petat a Deo, ut gloriam suam manifestet, quia scilicet inimici sui non sincere, sed perverse, dolose, mendaciter contra se loquuntur, quod ad literam evenit praecipue in passione Domini et etiam post mortem eius. Bene propterea s. Bruno Astensis hunc versum sic interpretatus est : « Vere peccatoris, qui illud peccatum facere non timuit cui nul-

lum peccatum unquam comparari potest. Vere dolosi, qui laudando, extollendo, magistrum bonum vocando, in omnibus insidiando, cum falsis testibus accusando, legis iniurias obiiciendo, ipsum legis conditorem contra legem fecisse mentiebantur : « Nos, inquiunt, legem habemus, et secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit (Joan. 19, 7). » Et cum nullam causam mortis Pilatus in eum invenire potuisset, ac per hoc eum dimittere voluisset, illi omnes econtra una voce clamaverunt : « Crucifige, crucifige » ! » etc. M. S. 1. 164, 1119 et 1120. — Continuat Christus

Versu 3° queri de inimicis suis dicens, eos ipsum circumdedisse sermonibus odii et oppugnare ipsum absque ulla causa, quod patet e passione Domini. Ad quod St. Bruno Astensis exclamat : « Quid dicetis ad haec? Nonne propheta vester istud praedixit ? Non potuit mentiri Spiritus Sanctus, qui in eo loquebatur; ipse vestra iniqua consilia, ipse vestros dolos, ipse vestros sermones odii et mendacii plenos, antea per tam multos annos revelavit, et hoc malum tam immensum, quod ad perditionem vestram facturi eratis, manifestavit » etc. 164, 1120. — Pergit Christus dicere de Judaeis

Versu 4° : Pro dilectione mea adversantur mihi, ego autem sum oratio.

Illustratur hic versus omnibus Novi Testamenti scriptis et historia Ecclesiae. Pulchre s. Marcus in evangelio ab eo scripto posuit 1, 14-45 quinque pericopas ad ostendendum amorem populi in Jesum, et tum 2, 1-3, 6 item quinque pericopas ad describendum odium scribarum et Pharisaeorum in eum, ut videre est in commentario nostro. — S. Bruno Astensis inter alia ad hunc versum adnotavit : « Hoc est enim, quod per prophetam Dominus ait : « Vinea mea electa, ego te plantavi, quomodo conversa es in amaritudinem vitis alienae » ? » (Jer. 2, 21). Et alibi : «Populе meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te ? responde mihi » (Mich. 6, 3). Longum est si enarrare vellemus quae et quanta beneficia illi populo iniquo et ingrato Dominus fecerit .... Suscitabat mortuos illorum, illuminabat caecos, curabat paralyticos, mundabat leprosos, sanabat hydropicos. Illi vero econtra quid detrahentes dicebant ? « Hic homo non est a Deo, qui Sabbatum non custodit » (Joan. 9, 16) ... Ipse vero orabat, et pro ipsis suis inimicis atque pro omnibus aliis, ut eius passio omnibus proficeret ad vitam aeternam ». 164, 1120 et 1121.

Concludit Christus querimoniam suam in Judaeos

Versu 5° dicens : Et onerant me malo pro bono et odio pro dilectione mea. Quo Judaeorum et ingratus animus pro benefactis Messiae et sinistra interpretatio eius operum designantur. Quod utrumque evangelio confirmatur. « Vidisti insignem improbitatem ? vidisti insidiarum conspirationem ? vidisti studium praemeditatum? Hoc enim Deum maxima irritat, quando consulto, dedita opera ac multa techna ab improbis mala fiunt » etc. S. Chrysost. M. S. gr. 55,262.

In secunda stropha petit Orans, ut super unum e multis descendat Dei iudicium.

V. 6. Praefice illi improbum,
Et diabolus stet a dextris eius.
V. 7. Cum iudicatur, exeat ut peccator
Et oratio eius fiat in peccatum.
V. 8. Fiant dies eius pauci,
Episcopatum eius accipiat alter,
V. 9. Fiant Filii eius orphani
Et uxor eius vidua.
V. 20. Et vagantes vagentur filii eius et mendicent
Et quaerant (victum longe) a ruinis suis.

De tota hac stropha valet dictum s. Augustini : « Cum superius querela de pluribus fuerit, nunc de uno loquitur psalmus. » In h. ps. Dicit ergo psalmista nomine Christi

V. 6° : Praefice illi improbum (Jer. 15, 3: Lev. 26, 16), nam convenit, ut vexator innocentiae a fortiore vexatore affligatur. « Cum igitur hic Judam traditorem secundum scripturam actuum apostolorum supplicio debito praenuntiet puniendum, quid est constitue super eum peccatorem, nisi eum quem sequenti versu indicat cum dicit, et diabolus stet a dextris eius ? Hoc utique meruit ut super se habeat diabolum, id est, diabolo subditus sit, qui Christo subditus esse noluit. » S. Aug. in h. l. Continuatur : « Et diabolus (princeps malorum angelorum Zach. 3, 1. I Paralip. 21, 1) stet a dextris eius » ad illum accusandum (a dextris enim rei stabat in iudicio eius accusator). Continuatur imprecatio

Versu 7°. Cum iudicatur improbus ille, exeat (proprie de sententia) peccator, id est, damnandus (Vulg. condemnatus), et oratio eius, qua se liberare studet, fiat in peccatum, cum non proveniat a fide, sed a desperatione, non a corde vere poenitente, sed a poenitentia Cain. Damnatur ergo obstinatio, non recusatur indulgentia poeni-

tentiae. Supposito quod malefactum eius deferretur ad iudicium, certissima esset damnatio. » Et oratio eius fiat in peccatum. Poenitentia Judae eius peccatum factum est. Quomodo? .... Ivit et suspendio periit .... Magis ex hoc offendit Dominum ... quam quod Dominum prodidit. Oportebat orationem ipsius esse in poenitentiam, et versa est in peccatum. Vides haereticum orantem, vides Judaeum, vides Manichaeum : licet ieiunent, licet orent, tamen oratio ipsorum vertitur in peccatum. » S. Hieron. M. S. l. 26, 1226. — Continuatur imprecatio

Versu 8° : Fiant dies illius pauci (מְעַטִּים sicut tantum adhuc Koh. 5, 1), et officium, apostolatum, episcopatum eius accipiat alter. Quod in Juda et Matthia adimpletum esse asserunt Actus Apost. 1, 20. « Hoc et in Actibus Apostolorum manifestius interpretatum est ». S. Hieron. 26, 1226. « Pauci quidem fuerunt dies, quia post quadraginta duos annos, capta urbe et templo destructo, omnes in captivitatem ducti sunt. Quod si de Juda intelligatur, neque multi, neque pauci fuerunt, quia statim abiens laqueo se suspendit. « Et episcopatum eius accepit alter. » Et Judae quidem episcopatum accepit Mathias ; Synagogam vero suscepit Ecclesia. » S. Bruno Ast. 164, 1121. « Si ipse Judas apostolatum perdidit, custodiant se sacerdotes et episcopi, ut non et ipsi suum sacerdotium perdant ». S. Hieron, 26, 1226-1227. Amplificatur argumentum

Versu 9° : Fiant filii eius orphani, quod adimpletum est in Judaeis eiectis de terra paterna, et uxor eius vidua, quod adimpletum est in terra sancta orbata propriis filiis. Cum Judas repraesentet populum Judaicum, varia de utroque valent. « Filios Judae quos putas ? Judaeos. Et Judaei dicuntur non ab illo Juda sancto, sed ab ipso proditore. Ex illo sancto nos sumus Judaei spirituales : ex illo autem proditore isti sunt Judaei carnales » etc. St. Hieron. 26, 1227. « Et uxor eius vidua ». Synagoga quae prima facta est uxor Dei, de qua dixit : Et dedit illi libellum repudii (Deut. 24, 1). Et iterum : Recepi eam, et dixi illi : convertere ad me (Jer. 3, 2). Illa ergo Synagoga repudium accepit a Salvatore, et facta est uxor Judae proditoris » etc. Idem ibidem. Reprobatio Judaeorum a Messia et eorum eiecto e terra sancta coincidunt. Denique denuntiatur destructio reipublicae Judaeorum

Versu 10° : Et vagantes vagentur filii eius mendicantes et quaerentes victum longe a terra sancta, ubi omnia monumenta Theocratiae Veteris Testamenti destructa sunt et ubi alieni, nunc praecipue Mahommetani, sedem fixerunt. Haec maledictio ergo adhuc quoti-

die adimpletur. — Equidem nostris diebus dispersio Judaeorum multo temperatur Plutarchia qua dominantur in principes christianos ad eorum vitia punienda : consulatur secunda pars Cantici Canticorum. « Quoniam crucifixerunt Deum et Dominum suum, . . . non sunt in suis locis (Judaei), sed in toto orbe divisi sunt, Mendicitatem hic dicit divitiarum spiritualium. Non enim habent prophetas, non habent legem, non habent sacerdotium, non habent sacrificium, sed vere mendici facti sunt. » St. Hier. 26, 1228. Consulatur historia destructionis Jerusalem et dispersionis Judaeorum. — Continuat Orans

in tertia stropha exsecrationem improbi :

V. 11. Deprehendat foenerator quicquid est illi,
Et diripiant extranei laborem illius.
V. 12. Ne sit illi qui protendat benignitatem,
Neque sit qui gratiam faciat pupillis illius.
V. 13. Sit posteritas eius exscindenda,
In generatione altera deleatur nomen eorum.
V. 14. Memoretur iniquitas patrum eius Jehovae,
Et peccatum matris eius ne deleatur.
V. 15. Sint coram Jehova iugiter,
Et exscindat e terra memoriam eorum.

Hac stropha describitur miseria populi in exilium ejecti et propriis orbati, quin singula sint urgenda.

Versu 11° describitur totius populi vel potius singulorum qui ad eum pertinent, summa paupertas, cum ob mutuatam substantiam omnia quae eis adhuc supersunt, ab iniusto exactore extorqueantur, et insuper etiam eis, quae laborando acquirunt, orbentur. Quod etiam Judaeis in dispersione evenisse, vix dubitari potest. Qua de re scripsit Calmet : « Cum Romani ad miserrimum squaloris statum Judaeos abiecissent, illos de patria terra eiiciendo, ac vetando etiam, ne illuc rursus pedem inferrent, ad haec illos tributis onerarunt, atque ad extremum paupertatis opprobrium redegerunt. Domitianus illos etiam Roma eiecit, eosque in finitimum nemus compulit, ubi non alia eorum supellex erat, quam cophinus ac parum foeni. Iuvenalis Satyr. 3 :

Quorum cophinus foenumque supellex. Eorum vero uxores illinc in urbem ascendebant, ubi nonnisi trementes mendicare audebant. Iuvenalis Sat. 12 :

Cophino foenoque relicto,
Arcanam Judaea tremens mendicat in aurem.
Implet et illa manum : sed parcius aere minuto.

Versu 12° talium miserorum mira abiectio et repulsa ostenditur. Nullus sit qui eis protrahat, continuet, misericordiam, sed cito commiserationem omnem abrumpat, cognita eorum extrema indignitate, nec sit qui gratiam exerceat erga orphanos eorum. « In illo tempore non habuit populus Judaeorum adiutorem. Respondete mihi, o Judaei. Fuistis in Babylonia : habuistis ibi prophetas, Daniel, Ezechiel, et revera idololatrae eratis. Septuaginta annis fuistis in captivitate, et postea venistis in propria. Ecce nunc quadringenti anni, quare non est missus ad vos propheta?... Dominum crucifixistis et interfecistis, et ideo non erit vobis adiutor ». St. Hieron. 26, 1228. « Iam per mille annos et amplius in captivitate est populus iste, et nullum neque Dei neque hominis auxilium meruit, ut ad propria remearet, nullusque fuit qui vel ipsis vel eorum filiis misericordiam praestaret. » St. Bruno Ast. 164, 1122. De conatu Juliani Apostatae instaurandi templi Hierosolymitani videsis commentar. n. in. s. Cantic. p. 204.

V. 13. Fiat posteritas eius (אַחֲרִית posteritas est ut Ez. 23, 25, non exitus ut Num. 24, 20) exscindenda, in generatione altera deleatur nomen eius. Si quadraginta annos pro generationis tempore sumimus, populus Judaicus revera secunda generatione post caedem Messiae interiit. « Perfecta aetas quadragesimo anno venit. Post passionem ergo Domini quadragesimo secundo anno deleta est Hierosolyma... Sed et in hoc clementia est Domini. Crucifixerunt eum et quadraginta duos annos dedit eis ad poenitentiam ». St. Hieron. 26, 1128 et 1129. « Nulla terra postea nominata est regnum Judaeorum ». St. Bruno Ast. 164, 1122. Sed perseverant Judaei in dispersione et convertentur in fine mundi. De qua re videsis secundam partem commentarii nostri in s. Cantic. יִמַּח est fut. apoc. Ni pro יִמַּח. Explicatio quaedam akrostichica apud Judaeos extat, quae sic sonat. יִמַּח שְׁמוֹ וְזִכְרוֹ.

V. 14. Memoretur iniquitas patrum populi Judaici Jehovae (Matth. 23, 32-36), et peccatum matris eius ne deleatur.

« Proditori praevaricatorem populum adiungit. Iniquitatem autem patrum dicit, quod occiderint prophetas, iuxta illud Domini dictum (Matth. 23, 35), quod scilicet omnis sanguinis iusti effusi ab Abele usque ad Zachariam prophetam poena sumenda sit ab hac genera-

tione. Et peccatum matris eius non deleatur. Matrem impii populi improbam illam synagogam intelligas, quae plerumque Deum exasperavit. » St. Athanas. 27, 458. Secunda pars versus sumi potest pro explicatione primae. Deus interdum posteros pro malis parentum punit, adiiciens mala temporalia super eos, quae tamen illi in bona patientiae convertere possunt, nam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Rom. 8, 28.

V. 15. Sint peccata parentum coram Jehova iugiter et exscindat Deus e terra memoriam eorum. Quae sensu iam occurrerunt. Sermo est hic de puniendis Judaeis per destructionem Theocratiae Veteris Testamenti. Et tamen regnum Dei in terra deleri non potest, ut pulcherrime describit ps. 93, et propterea « Synagogam suscepit Ecclesia ». St. Bruno Ast. 164, 1121.

In stropha quarta continuat Orans exsecrationem, indicans simul eius causas.

V. 16. Pro eo quod non est recordatus facere gratiam

Et persecutus est virum miserum et pauperem
Et compunctum corde, ut eum morti tradat.

V. 17. Et dilexit maledictionem et venit super eum,
Et non delectabatur benedictione, et longe mansit ab eo.

V. 18. Et induit maledictionem sicut vestimentum suum
Et intravit sicut aqua in interiora eius
Et sicut oleum in ossa eius.

V. 19. Fiat ei sicut vestimentum quo se operit
Et in cingulum quod semper circumcingit.

V. 20. Haec est merces osorum meorum a Jehova
Et loquentium malum super animam meam.

His versibus maledictio culmen attingit, et eiusdem causae indicantur, scil. persecutio viri innocentis et dilectio mali. Plena scientia, conscientia contradicente, egerunt Judaei contra praedictiones prophetarum, reprobantes Messiam, ac propterea elegerunt sibi maledictionem et involverunt se in eam sicut in vestimentum.

V. 16. Veniant omnia supradicta super improbum propterea quod non est recordatus facere misericordiam (non consenserunt Judaei, Pilato proponente, ut Christus dimitteretur), sed persecutus est virum afflictum (Ecce homo) et destitutum omni ope humana et affectum aegritudine animi ob peccata hominum, ut eum traderent morti (crucifige). Poël מוֹתֵת pro Hi. חֲמִית indicat crudelem mortem, cui persecutores tradere intendebant afflictum. « Non persequendo

Dominum flagellavit (Pilatus), sed eorum (Judaeorum) furori satisfacere volens : ut vel sic iam mitescerent, et desinerent velle occidere, cum flagellatum viderent ». St. Augustini in Breviar. in Parasceve.

V. 17. Et dilexit maledictionem, et venit super eum (ut Isai. 41, 25 perfectum propheticum), et noluit benedictionem, et longe remansit ab eo. Judas dilexit maledictionem, praeferens triginta aureos Christo et poenam traditionis gratiae salvatoris. Item populus Judaicus dilexit maledictionem, praeferens Caesarem Christo et poenam pro effuso sanguine iusti pretio Redemptionis. Judas noluit benedictionem, quam ei offerebat Christus, dicens : Juda, osculo tradis Filium hominis ? Item noluit populus Judaicus, benedictionem, quam ei annuntiavit Petrus in die Pentecostes Act. 2, 14-36. Et propterea benedictio longe remansit et a Juda et a populo Judaico. » Maledixerunt ergo ei (caeco Nato), et dixerunt : Tu discipulus illius sis; nos autem Moysi discipuli sumus ». Joan. 9, 17. « Videbant evidentia signa divinitatis ipsius, sed ex odio et invidia Christi ea pervertebant » etc. S. Thomas in S. Th. P. 3. Qu. 47, a. 5.

V. 18. Induit maledictionem sicut vestimentum suum, id est, peccatum et cum eo coniuncta maledictio ei tam *assueta* evasit ut vestimentum suum quotidianum (naturale est Judaeis maledicere Christianis , et maledictio intravit sicut aqua in interiora eius, hoc est, ita ei quodammodo peccatum et illud sequens maledictio *necessaria* evasit, ut aqua (Job. 15, 16. 34, 7 ; interna quadam necessitate coguntur Judaei maledicere Christianis), et sicut oleum in ossa eius, id est tam *dilectum* est ei peccatum ut oleum et pretiosa unguenta. Quo in versu habemus triplicem gradationem peccandi : consuetudinem, necessitatem, delectationem, sicut econtra in 1, 1 triplicem gradationem in observanda lege Domini. « Τοῦτο γὰρ μέχρι τῆς σήμερον Ἰουδαίων παῖδες ποιοῦσιν » (maledicunt Christum) St. Athanas. 27,460. Propterea Ecclesia in Parasceve orat « et pro perfidis Judaeis, ut Deus auferat velamen de cordibus eorum, et ipsi agnoscant Jesum Christum ».

V. 19. Fiat ergo ei maledictio sicut vestimentum quo circumdat se, ita ut ea totus obtegatur et involvatur, et sicut zona qua semper se accingit. Hisce verbis maledictio culmen attingit. Quibus nos descriptum videmus miserandum illum statum, in quo populus Judaicus vivit in dispersione, eiectus e patria, orbatus sacris, sine lege et sine propheta, reiectus a Messia, semper gerens proprium

typum, ubique extraneus, impotens assimilari alicui alii populo, palpabile testimonium existens propriae maledictionis et Messiae benedictionis, ita ut Judaeus aequet maledicto et reprobo. Maxima fuit Dei misericordia haec tam clare praedicere tot seculis antequam evenirent, ita ut populus Judaicus ea serio perpendens cavere posset. Sed cum nihilominus populus Judaicus Messiam reiecit, iustitiae Dei fuit, minas exequi. « L'état où l'on voit les Juifs est encore une grande preuve de la religion. Car c'est une chose étonnante de voir ce peuple subsister depuis tant d'années, et de le voir toujours misérable : étant nécessaire pour la preuve de Jésus-Christ, et qu'ils soient misérables puisqu'ils l'ont crucifié : et, quoiqu'il soit contraire d'être misérable et de subsister, il subsiste néanmoins toujours, malgré sa misère. » Pascal, *Pensées*, seconde partie, article 12, n. 4., citatum in commentario nostro in s. Cantic. p. 226. Praecipue etiam seriae meditationi commendanda sunt ex Bossuet, *Discours sur l'histoire universelle*, deuxième partie. La suite de la religion, capita 20 ad 25, quae huc transcribenda essent. —

V. 20. Hoc est praemium (פְּעֻלָּה est opus et operatum, opere acquisitum, ergo merces et punitio, Lev. 19, 13. Isaï. 40, 10. 49, 4) adversantium mihi, quod venit a Jehova, et obloquentium malum contra animam meam. Hic ergo dispersio Judaeorum inimicorum Christi ut punitio a Deo huic populo ingrato inflicta designatur, quam Jesus Christus ipse posteriore tempore pluries ex. g. Luc. 19, 43. 21, 20. 21. praedixit, et sicut effecta est per Vespasianum et Titum. De qua re consulatur Bossuet, ut supra, Flav. Joseph. *De bello Judaico*, 5, 6-7, 1 etc. « Par ce profond conseil de Dieu les Juifs subsistent encore au milieu des nations, où ils sont dispersés et captifs; mais ils subsistent avec le caractère de leur réprobation, déchus visiblement par leur infidélité des promesses faites à leurs pères, bannis de la terre promise, n'ayant même aucune terre à cultiver, esclaves partout où ils sont, sans honneur, sans liberté, sans aucune figure de peuple. » Bossuet, ut supra, c. 20.

In quinta stropha petit Orans Deum, ut sui miseri misereatur et se eripiat.

V. 21. Et tu, Jehova Adonai, age pro me propter nomen tuum,
Nam benefica est gratia tua : eripe me.

V. 22. Nam miser et pauper sum ego,
Et cor meum confossum est in medio mei.

V. 23. Sicut umbra, cum extenditur, transivi,
Excussus sum sicut locusta.

V. 24. Genua mea vacillant prae ieiunio,
Et caro mea emaciata est a pinguedine.
V. 25. Et ego factus sum opprobrium illis,
Vident me, movent caput suum.

Singula scrutanda sunt :

V. 21. Ob profunditatem rerum de quibus agitur incipit Orans querimoniam invocando Deum duplici nomine Jehova Adonai (ut 68, 21. 140, 8. 141, 8. Hab. 3, 19). Et tum eum provocat ad sé adiuvandum dicens : age pro me (עֲשֵׂה אִתִּי = erga me et contra me) propter nomen tuum, quia benefaciens, ad bonum te impellens, est gratia tua : eripe me ergo. « Ἀνθρωπίνως τὴν θείαν ἐπικαλεῖται βοήθειαν » St. Athanas. 27, 460. « Saepe iam diximus, quia quoties Salvator aliquid petit et aliqua re indigere videtur, nihil ad divinitatem, sed omnia ad humanitatem referenda sunt. *Neque vero ipsa humanitas aliquo indigebat, nisi quantum indigere volebat* » etc. S. Bruno Ast. 164, 1123.

V. 22. Nam miser et pauper sum ego, et cor meum confossum est (חָלַל) in medio mei. « Egenus quidem et pauper est qui se a suis inimicis defendere non potest. Talis, quantum ad se, erat humanitas Christi ; sed quia divinitas sibi coniuncta erat, nihil erat quod ipsa non posset. Simul itaque et pauper et dives erat, et egebat et non egebat. « Et cor meum conturbatum est in me. » Et hoc quidem ad humanitatem spectat. Quis enim nisi homo, sicut de eo scriptum est « coepit taedere, et moestus esse » (Marc. 14, 33) ? Fecit humanitas quod suum est, et divinitas quod suum ; quia nisi hoc faceret, quis eum hominem esse crederet ? Si enim solius divinitatis naturam et potentiam ostendisset, nemo eum hominem esse credidisset. Valde ergo nobis necessarium fuit ut has affectiones in se esse Salvator noster ostenderet. » St Bruno Ast. 164, 1123.

V. 23. Sicut umbra, cum extenditur, transivi (102, 12 : sicut sole declinante ex umbra fit nox, ita declinante vita ex mortali carne fit mors. St. Beda), excussus sum sicut locusta, quae inops facile terretur et fugatur, crudelitate persecutorum. « Excussus sum. Quid est hoc ? Persecuti sunt me, proiecerunt me. Persecuti sunt me de Nazareth, veni in Capharnaum. Persecuti sunt me de Capharnaum. ivi in Bethsaidam. Inde me persecuti sunt, et veni in Jerusalem... Et sic me habebant quasi locustam. Et quid feci ? Iratus sum, defendi meipsum, maledixi eos, dereliqui illos ? Nec unum horum feci : sed quid feci ? Oravi pro ipsis. » St. Hieron. 26, 1230.

V. 24. Genua mea vacillant, imo totum corpus meum contremiscit, ob infirmitatem meam, provenientem a paupere vita mea et ab immanibus doloribus quos sustinui in passione mea et adhuc sustineo pendens in cruce et morti proximus, et propterea omnis pinguedo et pulchritudo carnis meae evanuit, factus sum tanquam mortuus inter vivos, cfr. ps. 52 et 88 et Isai. c. 53. « וְנִרְאֵהוּ וְלֹא־מַרְאֶה » quod s. Hier. (M. 26, 1230) vertit : Vidimus eum et non habebat pulchritudinem (Isai. 53, 2). « Vidimus, inquit, eum et non erat ei aspectus, nec speciosum forma, prae filiis hominum, sed opprobrium hominum et tamquam leprosum, novissimum virorum, plane virum dolorum a Deo percussum et humiliatum ; ita ut nulla esset ei species, neque decor. O novissimum et altissimum » etc. S. Bernard. in officio votivo de Passione Dni.

V. 25. Et ego, tot et tantis doloribus exhaustus, factus sum opprobrium illis, qui me videntes, movent caput (22, 8. Matth. 27, 39). « Dum in cruce esset, movebant capita sua et dicebant : Qui templum solvis, salvum fac temetipsum » (Matth. 27, 40). S. Athanas. 27, 459.

In ultima stropha Orans iterum Deum petens, ut se adiuvet, ei gratiarum actiones promittit.

V. 26. Adiuva me, Jehova Elohai,
Salvum me fac secundum gratiam tuam!
V. 27. Et sciant, manum tuam esse hoc,
Te Jehova fecisse id.
V. 28. Maledicent illi, tu autem benedices,
Insurrexerunt, at confundentur, servus autem tuus laetabitur.
V. 29. Induentur adversarii mei pudore
Et amicient se tamquam pallio confusione sua.
V. 30. Confitebor Jehovae valde ore meo
Et in medio multorum laudabo eum :
V. 31. Quia astabit ad dexteram pauperis,
Ut(eum) salvum faciat a iudicibus animae eius.

Inquiramus in singula.
Invocat ergo Orans Deum dicens

Versu 26° Auxiliare mihi, o Jehova Elohai, salva me pro benignitate tua. In quo bene nominat Salvator Deum Jehovam, quia agitur de re maxima revelationis, de resurrectione sua scilicet, et Elohim, Deum sic supra creaturas elevatum profitens, cui addit pos-

sessivum essentiae et amoris. « Ipse ut homo rogat, et ut Deus tribuit. » St. Hieron. 26, 1231.

V. 27. Et cognoscant inimici mei, manum tuam, id est, opus tuum esse passionem meam, te, Jehova, fecisse hoc, te me tradidisse passioni et morti. « Γνώτωσαν ὅτι ἡ βοήθεια σού ἐστιν αὐτὴ ἡ ἐν ἐμοὶ γενομένη βοήθεια, καὶ ὅτι σὺ ὁ Πατήρ ἐβοήθησάς μοι ὡς ἠγαπημένῳ Υἱῷ, καὶ οὐ παρεῖδές με ὡς ἀντίθεον. » Nicephor. Blemmidas 142, 1371. « Hoc est enim quod alibi ait (Joan. 19, 11) : Quia non haberent in eum potestatem, nisi desuper datum sibi fuisset. Et Judaei hoc facere non potuissent, nisi Dominus voluisset. Et Dominus quidem hoc propter nos fecit et propter salutem nostram, Judaei vero propter odium et invidiam suam » etc. St. Bruno Ast. 164, 1124. « Tu enim percussisti pastorem tuum et oves dispersae sunt. Hoc scriptum est in Zacharia : Percutiam pastorem et dispergentur oves (Zach. 13, 7). Quod ut patiar, mea voluntas fuit et tua. Quod tu voluisti, et ego volui. Oportebat venire scandalum, sed vae per quem venit » (Matth. 18, 7). Sic S. Hieron. Filium Dei ad Patrem suum coelestem loquentem introducit 26, 1231.

V. 28. Illi (Judaei) maledicent, tu autem, o Jehova, benedices. Illi insurexerunt (vide supra) ad exterminandum servum Jehovae, sed confundentur, servus autem tuus, o Jehova, laetabitur (Resurrectio et Ascensio Jesu Christi).

« Maledicent illi et tu benedices. Usque hodie hoc fit : illi maledicunt in Synagoga, et Dominus benedicit in Ecclesia ». St. Hieron. 26, 1231. « Quotidie Judaei maledicunt, sed eorum maledictiones super eorum capita convertuntur. Non possunt celare malitiam suam, quia omnia ipsorum sacrilegia idem propheta manifestat ». St. Bruno Ast. 164, 1124.

V. 29. Induentur adversarii mei ignominia, et amicient tanquam pallium pudorem suum. Tanto odio ferentur in Christum, ut cooperiant se propria ignominia tanquam pallio. « Ecquod non est Judaeis pudoris genus? Sancta sua vident a fundamentis diruta : sepulcrum autem eius qui ab ipsis despectui habitus ac crucifixus est, adorari : Ecclesiasque eius ubique terrarum tantum numero et gloria augeri.» St. Athanas. 27, 462.

V. 30. Celebrabo Jehovam valde ore meo et in medio multorum (22, 23) laudabo eum.

« Confessio gratiarum actionem significat, quam per gentes Filius reddit. Et in medio multorum laudabo eum. Per ecclesiam

namque Patrem laudat. » S. Athanas. 27, 462. « Confitebor Domino nimis in ore meo. Hoc post resurrectionem dicitur, et de futura Ecclesia cantatur. Et in medio multorum laudabo eum. Non enim in Judaea solum, sed in universo orbe in Ecclesia laudabo te. » St. Hieron. 26, 1232.

V. 31. Quia se collocaverit ad dexteram pauperis (ad dexteram autem improbi est diabolus v. 6), pro eo dimicans (110, 5), ut eum salvet ab iis qui iudicarunt, id est, damnaverunt animam eius (cfr. 37, 33. Isai. 53. 8).

Nos coniungentes hunc versum cum praecedente hoc sensu : Celebrabo Jehovam etc. quia se collocaverit etc. accipimus יַעֲמֹד pro futuro exacto, cum Salvator pendens in cruce promittat, se celebrare Jehovam postquam hic se glorificaverit. Proximus ergo morti praedicit resurrectionem suam. Damnaverant Judaei Christum ad mortem, Deus autem liberabit eum e manibus eorum et e faucibus mortis, eum resuscitando. « Divina natura aderat humanae, permittebat tamen ut illa pateretur, hominum procurans salutem. Facile erat ipsi, quam assumpserat, naturam immortalem reddere : sed quia passio erat salus mundi, passionem permisit etc. Quamdiu autem morti obnoxiam illam habuit humano more omnia, praeter peccatum, et pati et loqui permittebat. » Theodoret Cyrensis. M. S. gr. 80, 1766. « Stat Pater Filio a dextris, et Filius Patri sedet a dextris, ut per hoc secundum divinitatem in omnibus similes esse credamus. » St. Bruno Ast. 164, 1125.

Per secla metae nescia
Patri supremo gloria
Honorque sit cum Filio
Et Spiritu Paraclito.

S. Fulbert. Carnot.

V. PS. 69 (68). EVOLUTIO QUINTI VERBI CHRISTI IN CRUCE.

Nemo nisi propria culpa damnatur.

Quantum facienda sit explicatio sacrae scripturae, concludamus ex eo, quod Dominus Noster ipse post resurrectionem suam gloriosam apparens apostolis et discipulis suis, dixit eis : « Necesse est impleri omnia quae scripta sunt in lege Moysi et Prophetis et Psalmis de me. » Luc. 24, 44. « Tunc, ut continuat S. Lucas, aperuit illis sensum, ut intelligerent scripturas. » Quod meritum eo magis aestimandum est nostris temporibus, in quibus paucissimi sensui sacrae scripturae investigando, multi sacrae scripturae destruendae operam navant.

Continuantes opus nostrum in psalmos, accedimus ad explanandum psalmum 69 (68).

Hic psalmus quinquies citatur in Novo T. Joan. 2, 17. Rom. 15, 3. 11, 9. Act. I, 20. Ioan. 19, 28 (quocum conferatur Matth. 27, 48). Serio hos locos ruminantes, praecipue Ioan. 19, 28-29, Iesum pendentem in Cruce dixisse : « ἵνα τελειωθῇ ἡ γραφή, λέγει. Διψῶ, et milites tunc spongiam impletam felle et hyssopo ori eius obtulisse. Iesumque ex eo gustantem, versum 22 huius psalmi dixisse וַיִּתְּנוּ־בְרֹאשִׁי רֹאשׁ וְלִצְמָאִי יַשְׁקוּנִי חֹמֶץ, et insuper perpendentes, in toto psalmo eamdem personam orare, nullum dubium remanet, quin hic psalmus dictus sit a Davide e persona Christi et sit mere messianicus. Acerbissimus quidem est ; sed ab energia amoris dictatus, sicut ps. 109, et intendit cavere defectionem a Messia sicut ille. Dictis adsentitur Origenes dicens : « *Ipse Deus Verbum preces emittit Patri* » (12, 1511), et Eusebius qui scripsit : « *Orditur servator orationem emittens ad Patrem his verbis : Salvum me fac, Deus* » etc. (23, 723). Consulantur et alii Patres vel scriptores de hac re. Ut tempus quo Servator pendens in Cruce hunc psalmum oravit, assignari potest hora illa sacratissima postquam exclamaverat : Sitio, ut iam diximus, et propterea considerare hunc psalmum ut evolutionem quinti verbi Iesu in Cruce.

I

Loci discrepantes.

De locis discrepantibus valet dictum s. Bonaventurae : « Qui literam s. Scripturae spernit, ad spirituales eius intelligentias numquam assurget ». Brevil. Proaem. 6.

Sunt in hoc psalmo sequentes loci discrepantes :

V. 1. לַמְנַצֵּחַ non significat : in finem. Videas ad ps. 19, עַל־שֹׁשַׁנִּים non est : pro iis qui comutabuntur; sed : super lilia, quo, ut videtur, alluditur ad Ecclesiam congregandam.

Versu 2° nihil adest pro meam in hebraico.

Versu 3° מַיִם non est : maris, sed : aquarum.

Versu 4° וָאֶגְעָתִי potius est : Fatigatus sum, quam laboravi, uti 6, 7. — Item נָהַר potius est : siccatae sunt, quam raucae factae sunt.

Versu 5° רַבּוּ potius est : multi (plures) sunt, quam multiplicati sunt, ut 3, 2. — Item עָצְמוּ hic potius significat : numerosi sunt, quam : confirmati sunt. — Item מְיַצְמִיתַי non significat tantum : qui persecuti sunt me, sed : perditores mei. Insuper שֶׁקֶר non est simpliciter : iniuste, sed : mendacium, hic : ob mendacium, ob mendacia scilicet quae mentiuntur de me. — Denique אָז אָשִׁיב non significat tunc exsolvebam, sed : nihilominus (tunc) reddere paratus sum, cfr. 35, 11 et Jer. 15, 10.

Versu 11° וָאֲבַכֶּה non est : et operui, sed : et flevi, germanice hic : Und ich verweinte in Fasten meine Seele. — לַחֲרָפוֹת non est tantum : opprobrium, sed : opprobria.

Versu 13° וַיְשִׂיחוּ־בִי est confabulabantur vel confabulantur de me (cfr. Prov. 6, 22), hic sensu despectus germanice : ich bin die Unterhaltung derer etc., es machen sich lustig über mich jene etc. — Secunda pars versus : et (factus sum) cantilenae potantium siceram. Cfr. Job 30, 9. Thren. 3, 14. Ezech. 33, 32.

Versu 14° תְּפִלָּתִי est nominativus : latine autem verbum converto vel dirigo vel aliud simile supplendum est. In Vulgata post beneplaciti ponendum esset punctum, cum Deus ad sequentem sententiam pertineat. — עֲנֵנִי ad literam est : responde mihi, at sensum habet : exaudi me. Cum בְּ constructum, uti 65, 6., significat exaudire, quadam re, scilicet illam dando. Vulgata habet pro eo : in. Hic autem phrasis : Responde mihi veritate salutis tuae aequat : exaudi me dando mihi veram salutem tuam.

Versu 15° אַנְצְרָה fortius est quam : libera me, scilicet : eripiar, fac eripiar.

Versu 16° תְּאַמֵּר non est : urgeat, sed : claudat.

Versu 18° תַּסְתֵּר non est : avertas, sed : abscondas. Quoniam tribulor ad praecedens et sequens pertinet, et propterea ante quoniam tantum virgula esse deberet.

Versu 19° קָרְבָה non est : intende, sed : appropinqua. Abundat in Vulgata et ante libera, pro quo melius poneretur redime.

Versu 21° שִׁבְּרָה non est : exspectavit, sed : fregit. Porro וָאָנוּשָׁה non est : et miseriam, sed : et ad mortem aegrotavi. Quod adhuc restat versus sic vertatur : Et exspectavi ad condolendum scil. venientes, at nemo aderat, et consolatores, et non inveni.

Versu 23° וְלִשְׁלֻמִים non significat : et in retributiones, sed : et (carnaliter) securis, germanice : und den Wohlmutigen. Cfr. Jer. 13, 19. I Thess 5, 3. — שְׁלֻמִים est forma rara pro שְׁלֻמִים, retributiones est שַׁלּוּמִים. — Abundat postea et in Vulgata.

Versus 24ⁱ secunda pars : et lumbos eorum semper nutare fac.

Versu 25° חֲרוֹן potius est ardor vel aestus, quam furor.

Versu 26° טִירָה potius palatium, quam domus pastoritia esse videtur. Abundat in Vulgata et ante in.

Versus 27ⁱ secunda pars : et de dolore confossorum tuorum narrant.

Versus 28ⁱ initium : Da culpam super culpam eorum.

Versu 30° תְּשַׂגְּבֵנִי non est : suscepit me, sed tollet me, in loco alto statuet me.

Versus 32ᵘˢ : Quod gratius erit Jehovae quam taurus iuvencus, cornutus, ungulatus.

Versus 33ᵘˢ : Videbunt afflicti, laetabuntur, quaerentes Elohim : reviviscat cor vestrum!

Versu 35° כָּל־רֹמֵשׂ potius est : omne repens, quam : omnia reptilia, quamvis sensu utrumque idem sit.

II

Explicatio.

Petit Christus patiens hoc in psalmo liberari et glorificari, et quidem dirigit petitionem liberationis primo ad Patrem, secundo ad Filium, tertio denique petitionem glorificationis ad Spiritum Sanctum, cui praecipue applicatio meritorum Christi attribuitur.

Primo ergo dirigit petitionem liberationis ad Patrem quinque strophis.

In *prima stropha* describit periculum mortis imminentis.

V. 2. Salvum me fac, Elohim, quoniam intraverunt aquae usque ad animam meam.

V. 3. Demersus sum in limum profundi, quin possim consistere. Veni in profunda aquarum et fluxus (aquarum) operuit me.

Examinentur singula.

V. 2. Immersus in mare amarissimorum dolorum, Christus ut homo clamat ad Patrem suum dicens : Salvum me fac, Elohim, Deus sancte, quoniam intraverunt aquae usque ad animam meam, id est, os subeunt et intrant, ut periculum sit a suffocatione. Pari modo dicit Jonas 2, 6, aquas se circumdedisse usque ad animam, id est, ut in promptu sit suffocari, et Jeremias 4, 5, gladium pervenisse usque ad animam, id est, in promptu esse occisionem. Saepe aquae symbolum sunt malorum, angustiarum, periculorum, ut patet e 18, 17. 32, 16, 124, 5. « Quoniam peccata nostra suscepit, pro nobis cruciatur. » St. Athanas. gr. 27, 306. « Secundum susceptas infirmitates nostras loquitur. » St. Hilar. l. 9, 471. — Continuat Orans describere maximum periculum vitae, in quo versatur.

V° 3° dicens : Demersus sum in limum abyssi (transiens de imagine aquarum ad illam limi), ubi nullum invenio locum, in quo secure et firmiter pedes figerem (cfr. 40, 3), ac propterea maximo versor in periculo, ne abripiar a fluctibus, eo magis quia iam veni in profunditates aquarum et fluxus aquarum me operuit. « Diversis variat sermonem imaginibus... Dictio autem « Veni » similis est illi : « Ego pono animam meam a meipso » (Joan. 10, 18). Sponte enim Christus necem pertulit, quam tempestatis nomine indigitat. » St. Cyrill. Alex. 69, 1162. « Haec patiebatur humana natura deducta per peccatum in mortem. » St. Athanas. 27, 306. — Continuat Orans dicere in

Secunda stropha, quantum in hoc vitae periculo constitutus patiatur et impetatur.

V. 4. Lassatus sum clamando, siccatum est guttur meum, Defecerunt oculi mei ob spem in Deum meum.

V. 5. Plures sunt capillis capitis mei osores mei sine causa, Numerosi perditores mei, inimici mei ob mendacium : Quod non rapui, tunc reddam.

V. 4. Loquitur Patiens hic verbis propriis. Clamorem eius intelligimus de continua oratione sacratissimi cordis eius pro salute hominum, sicut 22, 2-3 et 109, 4. « Valde pauca suae passionis tempore locutus est Dominus, quae nobis evangelistae diligenter narrant. Multa autem et in hoc psalmo et in aliis dicit propheta : Dominum locutum fuisse, quae in Evangeliis non inveniuntur. *Unde manifestum est quia similiter scribit Propheta ea quae Dominus locutus est corde, sicut ea quae locutus est ore. Utraque enim simili modo et audiebat et videbat, et quae Dominus loquebatur, et quae Dominus volebat et cogitabat.* » St. Bruno Ast. 164, 954. — De exsiccatione liquoris vitalis etiam queritur 22, 16. Sermo autem fit hic de hac re ad ostendendum aestum amantissimi cordis Jesu in sacratissima illa passionis suae hora. Quod etiam valet de verbis sequentibus :

Defecerunt etc. Sensus est : Tanto aestu clamo, o Pater mi, ad te pro salute hominum, ut exhauriantur omnes vires meae vitales. « Voilà ce cœur qui a tant aimé les hommes. » Confirmatur dictum.

Versu 5° ubi non tantum de Judaeis inimicis Christi, sed etiam de omnibus peccatoribus inimicis eius sermo est. Verbis : Quae non rapui, tunc reddam, exprimit Salvator cum maximam iniustitiam et ingratitudinem inimicorum suorum in se, tum maximum suum amorem in eos, obtestans, se non esse causam eorum infelicitatum, sed se omni momento paratum esse eos felices faciendi statim ac se convertunt. אז hic maximam hanc promptitudinem indicat. Quod optime concordat cum sequente

Tertia stropha, in qua amantissimus Salvator Patrem suum coelestem petit, ne homines fraudentur spe quam in se ponunt.

V. 6. Elohim, tu nosti stultitiam meam,
Et delicta mea a te non sunt abscondita.
V. 7. Ne confundantur in me praestolatores tui, Adonai Jehova Zebaoth,
Ne erubescant in me quaesitores tui, Deus Israël.
V. 8. Nam propter te suscepi opprobrium ;
Operit confusio faciem meam,

Dicit ergo Salvator ad Patrem suum, se propter ipsum, obedientia, scilicet et amore erga ipsum, suscepisse passionem, ac propterea eum instantissime rogat, ne unquam homines qui sincere eum quaerunt, fraudentur ope salutari, proveniente ex sua passione.

V. 6°. « Insipientiam dicit eam quae talis videtur hominibus, stultitiam dico passionis. Facta enim est, iuxta sacrum apostolum (I Cor. 1, 23), crux Domini Judaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitia. Tu igitur, o Pater, inquit, nosti oeconomiam crucis » etc. St. Athanas. 27, 307. — « Locutio : « Delicta mea te non latuerunt » similis est huic : « Qui peccatum non noverat, hunc fecit pro nobis esse peccatum » (II Cor. 5, 23). » St. Cyrill. Alex. 69, 1163.

V. 7°. « Erubescerent enim si non resurrexisset, et si hoc quod se facturum esse promiserat non fecisset. Et sancti quidem exspectant et requirunt Dominum, quia in eius adventu se beatos fore non dubitant. » St. Bruno Ast. 164, 956. « Non evacuetur spes credentium de passione mea, sed cognoscant quia voluntatem tuam facere veni. » St. Hieron. 26, 1082. — Attendatur ad nomina quibus Filius hic Patrem vocat : Adonai, dominum mundi, δεσπότην (consulatur Apocalypsis nostra pag. 325) ; Jehovam Zebaoth, omnipotentem se revelantem ; Deum Israël, ab electo populo adoratum, quae certe potentissima sunt ad movendum cor Patris coelestis. Ad quod non potest non parum contribuere quod addit

Versu 8° Quoniam etc. « Propter voluntatem Patris, malorum improperia supportavit, et verecundia tectus est, cum in assumpta carne colliditur : quia una voluntas fuit Patris et Filii quod sustinuit passionem. » St. Hier. 26, 1082. « Magnum improperium fuit quod Filius Patri obediendo sustinuit. Unde et subditur : Operuit reverentia faciem meam. » St. Bruno Ast. 164, 956.

Continuat Salvator idem argumentum in

Quarta stropha.

V. 9. Extraneus factus sum fratribus meis
Et peregrinus filiis matris meae.
V. 10. Quia zelus domus tuae comedit me
Et opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.
V. 11. Et flevi castigans ieiunio animam meam,
Et factum est in opprobria mihi.

Continuat ergo Servator loqui de malis quae sibi obvenerunt, simul indicans eorum causam et querens de ingratitudine hominum. Optime huc facit dictum s. Maximi : « Nota virilem Jesu vitam et divinam peccandi privationem. » Migne S. gr. 4, 166.

Versu 9° queritur quod reprobatus est a Synagoga. « Per hos (fratres et filios matris meae) Judaeos intelligimus, qui eiusdem

Synagogae cuius et ipse filius erat. His autem extraneus Dominus et peregrinus factus est, quia eum spernentes dixerunt : Nolumus hunc regnare super nos. Et nolumus hunc, sed Barabbam. Et non habemus regem nisi Caesarem. » St. Bruno Ast. 164, 956.

Versu 10° indicat causam tantae animorum alienationis a se, quae fuit zelus eius pro instauranda domo Dei, perficiendo vero cultu Dei. De qua re optime scripsit Bossuet : « Assurément, monseigneur, on ne peut rien concevoir qui soit plus digne de Dieu, que de s'être premièrement choisi un peuple qui fût un exemple palpable de son éternelle providence ; un peuple dont la bonne ou la mauvaise fortune dépendît de la piété, et dont l'état rendît témoignage à la sagesse et à la justice de celui qui le gouvernait. C'est par où Dieu a commencé, et c'est ce qu'il a fait voir dans le peuple juif. Mais, après avoir établi par tant de preuves sensibles ce fondement immuable, que lui seul conduit à sa volonté tous les événements de la vie présente, *il était temps d'élever les hommes à de plus hautes pensées, et d'envoyer Jésus-Christ, à qui il était réservé de découvrir au nouveau peuple ramassé de tous les peuples du monde le secret de la vie future.* » Discours sur l'histoire universelle (Paris, Didot, 1864), p. 117-118. Pulchram applicationem huius versus facit s. Cyrill. Alex. scribens : « *Hac utique utatur locutione quisquis vere pius est, rectamque habet et incauponabilem fidem. Sane si quando religio persecutionem patietur a veritatis hostibus, tunc langueat oportet affectus erga genus atque familiam ; et cum Dei gloria in ignominiam trahetur, tunc amoris in fratres lex cesset; sed unus prae omnibus ametur omnium Deus, cui nostram debemus vitam.* » 69, 1163. Ergo Ecclesia plus amanda est quam patria, bonum Ecclesiae praeferendum bono patriae. Judaei probris afficientes Christum, probris afficiebant Patrem ipsum coelestem. Continuat Servator queri

Versu 11°, quod vita sua poenitens sibi reputabatur in dedecus. De quo Didymus Alex. : « Solent, inquit, scelerati homines viris honestis virtutes exprobrare quibus ornantur. Nam « exsecratio peccatori cultura Dei » (Eccli 1, 32). » M. S. gr. 39, 1454. Quo transitus fit ad

Quintam stropham, ubi Servator probris omnium opponit orationem fere sicut 109, 4.

V. 12. Et posui vestimentum meum cilicium
Et factus sum illis in parabolam.

V. 13. Nugantur de me sedentes in porta
Et cantilenae factus sum bibentibus sechar.
V. 14. At ego orationem meam dirigo ad te Jehova, tempore beneplaciti,
Elohim propter multitudinem gratiae tuae responde mihi veritate salutis tuae.

V. 12. Mundus aestimat ea quae videntur. Propterea admirabatur Nabuchodonosor magnam statuam quam viderat, quin indolem regnorum mundi perspiceret, sicut Daniel. Sic et Judaei mundani despiciebant pauperem et humilem vitam Servatoris. « Cilicium duram innuit victus rationem ac luctum. » St. Cyrill. Alex. 69, 1163.

V. 13. Imo quando illi conveniunt in porta, me ludibrio habent, et materia cantionum factus sum bibentibus sechar. Belle s. Cyrill. huc adnotavit : « Conventus otiosorum (ἀκαιρουμένων) circa eum tempus insumebant (εὐκαίρουν), et nugabantur (ἡδολέσχουν), et perpetuo garriebant (ἐσχόλαζον). M. P. gr. 69, 1165. Nonne valet hoc et nostris diebus de multis compotationibus et de multis conventibus virorum, qui videntur regere populos? — Christus autem illis ludibriis, ut dicitur.

V. 14° opponebat orationem intensissimam ad Patrem suum coelestem pro salute omnium hominum, etiam crucifixorum suorum et despectorum suorum. Tempus quando pendebat Servator in cruce fuit culminatio probationis et gratiae pro Synogoga, videas in commentario nostro super Cantic. Canticor. ad 1, 7 (6)., et ad 8, 5 (sub arbore malo etc.). « Mortem nostram moriendo destruxit » etc.

Post fusas preces ad Patrem dirigit eas etiam ad se ipsum, repetens petitionem pro liberatione, in tribus strophis, quae secundam partem psalmi constituunt.

Sexta stropha valde similis est primae.

V. 15 Eripe me de luto, ut non infigar,
Eripiar ab osoribus meis et de profundis aquarum.
V. 16. Ne inundet me decursus aquarum
Neque absorbeat me profundum
Neque claudat super me puteus os suum.

Petit ergo Patiens liberari, dicens

Versu 15°, eripe me e luto, ne demergar in illud (v. 3) cfr. Jer. 38,6 et peream, fac ut eripiar osoribus meis et e profunditatibus aquarum. De quo recolantur ad stropham primam dicta : « Libera

me ex odientibus me ». Istud ad Judaicum populum manifestum est pertinere. Quare, surgente Christo, eorum odia frustata vanuerunt; nam quo dixit : De profundis aquarum, ad populum ipsum non est dubium pertinere, quia profundus erat malignitate consilii, et seditionibus turbulentus. » St. Romuald, 140, 1128. Lutum sordidum et lubricum loquens est imago hypocrisis Pharisaeorum. Dicit Patiens idem aliis verbis

Versu 16° tribus imaginibus : ne inundetur fluentis aquarum (124, 4. 5), ne absorbeatur a profundo, ne claudatur puteus super se. Cfr. Jer. 38, 913. « Non urgeat super me puteus os suum, id est, non claudatur super me iuxta illud : non dabis sanctum tuum videre corruptionem (ps. 16), quia si remanerem in morte, comparabilis essem cuique super quem clausisset puteus os suum, ita videlicet ut taceat confessionem et clamet defensionem. » Remigius Antissiodorensis 131, 496.

Pergit petere, ut eripiatur inimicis, ob bonitatem suam divinam in

Septima stropha.

V. 17. Responde mihi, Jehova, quia bona est gratia tua ;
Secundum multitudinem miserationum tuarum respice in me.
V. 18. Et ne abscondas faciem tuam a servo tuo,
Quoniam angustia est mihi, festinanter responde mihi.
V. 19. Appropinqua ad animam meam, redimere eam :
Propter inimicos meos redime me.

V. 17°. Pro : bona est gratia tua, etiam poni posset ; bonum est gratia tua. Revera quid majus est gratia divina ? « Exaudi me, Domine, quoniam benigna est misericordia tua. Nota misericordiam tunc maxime benignam, quando quisque suum expertus est miseriam, sicut pluvia maxime acceptabilis est terrae, postquam ipsa terra diu est in siccitate. » Remigius Antissiodor. 131, 496-497. — Pergit Servator patiens dicere ad Filium Dei

V. 18° : Et ne abscondas faciem tuam a servo tuo, quoniam angustum est mihi : velociter exaudi me. מְהֵר est adverbium, ut 79, 8. « Gratia per faciem designatur, eo quod in facie signum gratiae solet apparere. » St. Bruno Carthusian. 152, 974. — Adhuc precatur Servator se ipsum dicens

Versu 19° : Appropinqua animae meae, redime eam : propter

inimicos meos libera me. « Intende animae meae, ut revera libera fiat, cum eam divinitas propitiata respexerit. Propter inimicos etiam petebat celerrimum resurrectionis auxilium, ut qui contempserant crucifixum, tertia die resurgenti crederent. » St. Bruno Herbipol. 142, 260. — Effusa prece queritur

Octava stropha de duritia inimicorum, ut eo securior fiat exauditio.

V. 20. Tu nosti probrum meum, et pudorem meum et ignominiam meam,
In conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me.
V. 21. Probrum contrivit cor meum et ad mortem aegrotavi;
Et exspectavi, ut quis mecum condoleret, et non fuit;
Et (ad) consolatores, et non inveni.
V. 22. Et dederunt in escam meam fel,
Et in siti mea potaverunt me aceto[1].

V. 20. Dicit ergo Servator patiens ad se ipsum ut Deum : Tu utique scis omnia, tu nosti, quanto probro affecerunt corpus meum, quanto pudore vitam meam, quanta ignominia deitatem meam, in conspectu tuo sunt omnes et singuli qui tribulant me : tu scis, quanta malitia ipsi ducantur, et quanto amore ego repletus sim. « Haec omnia, non pro suo reatu, sed pro nobis sustinuit. » Petrus Lombard. 191, 635. — Dictum exaggerat Patiens

Versu 21° tribus : a) se affectum esse dolore mortali, b) se nullum invenisse condolatorem, neque c) consolatorem.

Primum ad literam accipiendum est, secundum et tertium restringendum beatissima Virgine Matre Dei, sancto Joanne, tribus aliis Mariis, qui stabant iuxta Crucem Iesu, et aliis amicis Domini Nostri. Sed hi quot erant in tanta multitudine inimicorum? Nos autem precemur ad Mariam :

Sancta Mater, istud agas
Crucifixi fige plagas
Cordi meo valide.

Meminisse autem hic oportet etiam illius vocis Servatoris in Cruce : Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me. Si enim Deus non consolatur, quid valet omnium hominum consolatio?

1. נָתַן בְּ significat hic : aliquid in aliquid mittere, aliquid cum aliquo miscere, ergo : miscent cibum meum cum felle ; et לְ in לִצְמָאִי finem, scil. ad sedandam sitim meam.

Videmus etiam ex hisce dictis, quanti momenti sit vera commiseratio, ita ut vir vere misericors beatus praedicetur in ps. 41. Ego in vita mea unum virum vere misericordem inveni. — Pergit

Versu 22° Patiens queri, quam atrociter inimici ipsum in extremis positum tractaverint, dando sibi in cibum fel et in potum acetum, quod ad literam in Servatore adimpletum est, ut supra monuimus. De quo etiam bene v. Gerhohus : « Cum eos, inquit, quaererem dulcem et sapidum cibum, ipsi fecerunt se fellicosos, et in siti mea, id est, ubi eos sitibam (sic legitur in ed. M.) fecerunt se acerrimos. Ad litteram quoque secundum Joannem passio Domini consummata fuit in eo quod, cum dixisset : Sitio, unus militum spongiam aceto plenam, impositam arundini et hyssopo circumpositam (sic legitur in ed. M.) obtulit ori eius. Et ipse cum accepisset acetum, dixit : « Consummatum est (Joan. 19, 30) ». Matthaeus quoque narrat : « Vinum cum felle mistum a militibus illi datum, ut biberet » (Matth. 27, 34). « Sed ille cum gustasset, noluit bibere. » Migne S. l. 194-253. Commovens est quod legitur in Breviario de s. Paulo a Cruce, eum a primo rationis usu Jesu Christi crucifixi amore flagrantem eius contemplationi prolixius vacare coepisse, et carnem potu in sexta Feria ex aceto cum felle mixto contrivisse.

Petita liberatione a Patre et a Filio, accedit Servator ad petendam glorificationem suam a Spiritu Sancto quinque in strophis.

Cum magna sit gloria, si poenae pro certis flagitiis ante secula praedictae adimplentur in scelestis, qui praedictionibus illis cognitis et neglectis scelera illa perpetrarunt, Crucifixus rogat Spiritum sanctum, ut poenas praedictas in Judaeos ob repudiatum Messiam in eis adimpleat. Hoc argumentum est

Nonae strophae.

V. 23. Fiat mensa eorum coram eis in laqueum
Et nimis de se fidentibus in scandalum.
V. 24. Obscurentur oculi eorum ne videant
Et lumbos eorum semper nutare fac.
V. 25. Effunde super eos iram tuam
Et furor irae tuae comprehendat eos.

V. 23. Quia pascunt me in passione mea amaro cibo et potu acri, ipsis omnis copia victus in laqueum et in offendiculum vertatur, cfr. Rom. 11, 9. Habemus hic adimpletionem legis talionis. De cetero haec poena Judaeorum spiritualiter intelligenda est, sicut non raro in scriptura transitus fit de temporali ad spirituale, sicut ex. g.

Jesus Christus ab aqua naturali de qua Samaritana locuta erat, occasionem sumpsit loquendi de gratia, et sicut ipse fermentum Pharisaeorum de eorum hypocrisi, discipuli autem de panibus intelligebant. Bene propterea ad hunc locum adnotavit s. Bruno Astensis : « Hanc autem maledictionem et alias omnes quae sequuntur quotidie Judaei legentes et non intelligentes seipsos excommunicant et maledicunt, quod utique non fecissent (facerent), nisi eas Propheta scripsisset. Eamdem escam spiritualem habent Judaei, quam et nos habemus *legem* videlicet, et *prophetas* et *alias Scripturas* quibus animae nutriuntur, sed non est inter eos qui panem frangat et Scripturas eis exponat; sicut scriptum est : « Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis (Thren. 4, 4) ». *Sequuntur igitur litteram*, et, sicut Apostolus ait, *ipsa littera* eos occidit, atque eo modo *fit eis in laqueum, quo decipiantur et occidantur* » 164, 959. S. Paulus ipse ad Rom. 11, 9 hunc locum prophetice et spiritualiter interpretatur. Quod etiam valet de secunda parte versus. שְׁלוֹמִים pacifici vel potius tranquilli, securi, cfr. I Thess. 5, 3., sunt Sadducaei et Pharisaei, qui propria astutia gloriantes, et protectione Romanorum nisi, sicut tempore Ezechielis Hierosolymitani auxilio Aegyptiorum Ezech. c. 29-32, nullum omnino damnum statum judaicum accipere posse exstimabant a caede Jesu Christi, Messiae illius spiritualis, quamvis iniusta. Sed terrenam tantum prosperitatem quaerentes, amiserunt et terrenam et coelestem, et littera materialis de potentia Messiae facta est illis in scandalum, in litteram mortalem. « Hoc scandalum inde habebunt, quod solam litteram sequuntur, et spiritualem intelligentiam non quaerunt. » St. Bruno Ast., ubi supra. Tantum interest, scripturam recte intelligere. — Cum hoc intime coniunctus est

Versus 24[us], ubi Orans obstinatis : 1° obcaecationem oculorum, 2° perpetuam lumborum nutationem imprecatur.

Obcaecatio oculorum spiritualiter accipienda est, de qua iam praedixerat Isaias : « Excaeca cor populi huius, ut videntes non videant, et audientes non intelligant (Isai. 6, 10) », et quam Paulus in Judaeis adimpletam attestatur, scribens : « Usque in hodiernum diem, quum legitur Moyses (et quaevis alia prophetia de Messia) velamen positum est super cor eorum (II Cor. 3, 15). »

Nutatio autem perpetua lumborum, sumpta a homine qui nullam firmam consistentiam habet, intelligenda est de continua mutatione sententiae Judaeorum de Messia, de qua re videsis commentar. nostrum in s. Cantic. pag. 206 et opera ibi indicata et alia. — Propterea quia Judaei repulerunt benedictionem, continuat Orans dicens

Versu 25° ad Spiritum Sanctum : « Effunde super eos iram tuam, et furor irae tuae comprehendat eos. » Ad quod Calmet adnotavit : « *Furor*, ait Theodoretus, significat supplicii et celeritatem et impetum, *ira* vero et diuturnitatem et perseverantiam. » — Quibus nondum contentus, continuat Orans idem argumentum in

Stropha decima.

V. 26. Fiat palatium eorum desolatum,
In tabernaculis eorum non sit habitans.
V. 27. Quoniam quem tu percussisti, persequuntur,
Et de dolore vulneratorum tuorum narrant.
V. 28. Pone iniquitatem super iniquitatem eorum
Et non intrent in iustitiam tuam.

V. 26. Citat s. Petrus Act. 1, 20 hunc versum ad probandam venturam devastationem Judaeae ob caedem Messiae, cum introductione : γέγραπται γὰρ ἐν βίβλῳ ψαλμῶν. Pro טִירָה, quod forsitan hic de tota terra sancta uti de vinea a Deo electa et circumsepta, prout eam describit Isaias in c. 5, vel de templo uti palatio inexpugnabili, intelligendum est, habet citatio ἔπαυλις ad exemplum LXX, quod varia significare potest. Cfr. Cantic. 8, 9. Omittit בְּאָהֳלֵיהֶם. Omnes Patres Ecclesiae hunc versum de vastatione terrae sanctae per Romanos facta interpretantur, confirmantes interpretationem s. Petri. Audiatur e multis Tertulliamus : « Haec igitur, ait, cum pati praedicentur Judaei propter Christum, et passos eos esse inveniamus, et in dispersione demorari cernamus, manifestum est propter Christum Judaeis ista accidisse, conspirante sensu scripturarum cum exitu rerum et ordine temporum. Aut si nondum venit Christus propter quem haec passuri praedicabantur, cum venerit ergo patientur » etc. Migne S. l. 2, 978. Conferatur ps. 109. — Indicat Orans causam tantae poenae in

Versu 27° dicens : Nam eum quem tu, Deus, percussisti et adhuc percutis vel potius amore ineffabili in genus humanum percuti permittis, illi persequuntur, quamvis eius innocentiam noverint : et consilium tuum ignorantes, et de dolore confossorum tuorum (109, 22), eorum scil. qui condolent crucifixo, narrantes, eos ludibrio habent. — « Non pro meritis suis in id genus mortis expositus est, sed ut ea quae praedicta sunt e prophetis, per vos ei obventura implerentur, *sicut in psalmis ipse Spiritus Christi iam canebat.* » Tertullian. 2, 665.

V. 28°. Qui contra conscientiae vocem sic agunt, nihil aliud merentur, quam ut augeas culpam eorum (Apoc. 22, 11), id est, permittas, ut perveniant ad summam nequitiam et iustam accipiant poenam, exclusi post mortem a regno sanctorum et missi in stagnum ignis cum diabolo et asseclis eius. « Deus non est in causa, si traditi sint illi quem desiderarunt, scilicet diabolo, Dei desertori. » Theodor. Mopsuesten. gr. 66, 690.

Quae cum ita sint, petit Orans in

Undecima stropha, ut illi succumbant, ipse autem triumphum agat.

V. 29. Deleantur de libro viventium
Et cum iustis non scribantur.
V. 30. Ego autem sum afflictus et dolens :
Salus tua, Elohim, exaltabit me.
V. 31. Laudabo nomen Dei cum cantico
Et magnificabo illud cum eucharistia.

V. 29. Si obstinate in malo perseverant, deleantur de libro viventium et cum iustis non scribantur. Hic versus idem edicit, ac finis praecedentis, scil. eos qui oderunt Messiam, non posse esse cives regni Dei neque in hac, neque in altera vita, ita ut secunda pars versus explicatio sit primae. Neque cum s. Hieronymo duo distinguendi sunt libri, unus scilicet iustorum veteris, et alter Novi Testamenti. De libro vitae primo sermo est in Exod. 32, 32., et postea interdum in scriptura, uti ex. g. ad Philipp. 4, 3, Apoc. 3, 5. 13, 8. 15, 12. 15. Liber vitae est summa praedestinatorum. Qui in hoc libro scriptus est, inde non delebitur. Verba iacentia ergo explicanda sunt, nunquam scribentur illi in malo obstinati in illum librum. Dictum est autem : deleantur, ut magis animi legentium et audientium afficiantur. Stamus hic ante mysterium praedestinationis, quod mortalibus semper impenetrabile manebit. Ne eo nimis terreamur, ponderandum est : 1° Deum omnes homines ad aeternam beatitudinem creasse, 2° eum neminem innocentem condemnare, 3° Deum hoc mysterio hominibus velle iniicere salutarem timorem, ut eo magis tendant ad vitam aeternam, 4° Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, ut Ecclesia expresse docuit contra Jansenistas, 5° si quem anxietas premit, se non esse praedestinatum, vivat ut praedestinatus, et nihil ei timendum est, sicut docet libellus de imitatione Christi et exemplum s. Fr. Salesii.

Fuse disserit de hac re s. Anselmus in opere quod scripsit de concordia praescientiae et praedestinationis divinae cum libertate hominis.

Recordare, Jesu pie,
Quod sum causa tuae viae,
Ne me perdas illa die!

V. 30us. Me autem, qui sum afflictus et dolens, Salus tua, o Elohim, id est, salvifica virtus tua me excitabit a morte et in coelo ad dexteram tuam collocabit (Apoc. 12, 5).

« Ἀναστὰς γὰρ ἐκ νεκρῶν καὶ ἀναληφθεὶς ἀνέβαλεν τὰ τραύματα καὶ τὴν πτωχείαν ἣν εἶχεν ὑπὲρ ἀνθρώπων. » Diodor. Tarsensis 33, 1606.

V. 31. Propterea laudabo nomen Dei cum cantico et exaltabo illud cum gratiarum actione. Certo immensa fuit laetitia humanitatis Christi glorificatae, imo deificatae, per resurrectionem eius, prout attestatur ps. 2i v. 6. Imo cum eo glorificata est tota natura, nam ipse est « primogenitus mortuorum » (Apoc. 1, 5), per quem omnes nos gloriose resurgemus. Consulatur hymnus « Aurora lucis rutilat » in laudibus Paschatis.

תּוֹדָה autem nos hic intelligimus de sacrificio eucharistico, in quo Christus est Sacerdos et hostia, per quod Deus praecipue laudatur et glorificatur, ita ut conveniat cum ps. 22i versibus 26 et 27. Item intelligi potest de laude continua quam exhibet Homo-Deus Deo in cœlo.

Duodecima stropha : De quo rerum eventu gaudebunt iusti.

V. 32. Et gratior erit (Hostia eucharistica) Jehovae prae tauro iuvenco,
Cornua habente, ungulas findente.
V. 33. Videbunt hoc tristes, gaudebunt.
Quaerentes Deum-vivat cor vestrum!
V. 34. Quoniam attendit ad pauperes Jehova,
Et vinctos suos non despicit.

Revera hi tres versus valde similes sunt psalmi 22i versibus 23 ad 27 et quoad argumentum et quoad verba. Est hic sermo de sacrificio eucharistico, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius, mens impletur gratia et futurae gloriae nobis pignus datur.

V. 32. Subiectum ad וְתֵיטַב est תּוֹדָה in fine versus praecedentis, quod nos interpretati sumus de Eucharistia. Haec Deo multo magis

placebit quam perfectissima sacrificia Veteris Testamenti, sicut futurum praedixerat Malachias : « Nulla est mihi delectatio in vobis, ait Jehova exercituum, et munus acceptum non habeo e manu vestra : nam ab ortu Solis usque ad occasum eius, magnum erit nomen meum in gentibus et in omni loco suffimentum offeretur nomini meo, et *oblatio munda* מִנְחָה טְהוֹרָה : quia magnum erit nomen meum in gentibus, dicit Jehova exercituum. » 1, 10-11. שׁוֹר פָּר aequat taurus iuvencus. מַקְרִין cornua habens eum ut non tribus annis iuniorem designat, ergo ut talem qui a lege sacrificali exposcitam aetatem habet ; מַפְרִיס ungulas findens ut talem qui ad animalia ruminantia pertinet. Dicit ergo hic propheta. etiam perfectissimam et pretiosissimam victimam Veteris Testamenti. omnia a lege requisita habentem, nullo modo comparari posse victimae Novi Testamenti. De qua re conferatur Apocalypsis nostra pag. 274 ad 391. « Pro salute hominum agni istius venerandus sanguis effunditur, ut sanctos suos filius Dei profusione pretiosi sanguinis redimat, ut qui Christi sanguine liberantur, maiestate prius immortali sanguinis consecrentur. » Julius Firmicius Maternus († c. a. 348) in opere : De errore profanar. Relig. c. 28.

V. 33. De qua rerum mutatione pii valde gaudebunt. Designantur pii hic per עַנָוִים et per דֹּרְשֵׁי אֱלֹהִים. Primum eos uti tristes de Domini Nostri morte describit ad exemplum evangeliorum et hymni pro apostolis in tempore Paschali : Tristes erant apostoli De nece sui Domini, Quem morte crudelissima Servi damnarant impii. Secundum uti tales, qui ex corde Deum quaerunt. Utrumque de piis omnium temporum valet, qui semper dolent de offensione Dei et Deum sincere quaerunt. Quantum b. Virgo Maria, Mater Dei, apostoli, denique omnes discipuli Domini gavisi sint, videntes eum redivivum et glorificatum, colligit Ecclesia ex evangelio responsorio : Gavisi sunt discipuli alleluia, alleluia : Viso Domino alleluia, alleluia ! Quanto quisque christianus gaudio de ssma eucharistia perfundi oporteat, colligatur ex illo hymno notissimo : Tantum ergo sacramentum. Quibus perpensis, facile intelligitur acclamatio Christi ad fideles suos : Reviviscat cor vestrum, magnos sumite animos ad instar ps. 22^{i} v. 27^{i} : Recreetur cor vestrum in aevum, qua Christus fidelibus suis et abundantiam gratiae et laetitiam de ea adprecatur. « O quam suavis est, Domine, Spiritus tuus ! qui, ut dulcedinem tuam in filios demonstrares, Pane suavissimo de coelo praestito, esurientes reples Bonis, fastidiosos divites dimittens inanes. » In officio Corporis Christi.

Convenientissime additur

Versu 34° : nam Jehova respicit eos, qui se affligunt propter ipsum vel propter Messiam, et vinctos suos, id est, eos qui puniuntur propter ipsum vel propter Messiam, non despicit. Quibus in verbis duae distinguuntur hominum classes, quae a Deo beneficiis donari dicuntur, ii scilicet qui se ipsos voluntarie affligunt propter Deum, et ii qui ab aliis eadem de causa affliguntur, ubi vincti pro iis omnibus positi sunt qui aliquo modo propter Deum ab aliis affliguntur. Insuper respicere significat gratia donare, quia benevolentia se manifestat amoroso intuitu, et non despicere est lithotes, ponens minus pro plure, significans hic benigne respicere, exaltare, magnificare. Quantum Christus apostolos suos de morte sua dolentes post resurrectionem suam beatificaverit, narrant sacra evangelia : quantum eosdem post ascensionem suam glorificaverit, cum persecutionem patiebantur, narrant Actus Apostolorum. Quantum denique exaltavit Ecclesiam suam decursu omnium seculorum usque nunc et exaltabit usque dum mortalitas donabitur immortalitate! O mi Deus, fac ut amem te! — Aptissime ergo sequitur invitatio ad laudandum Deum de tanta bonitate generi humano collata in

Tertia decima stropha.

V. 35. Laudent illum coeli et terra,
Maria et omne repens in eis.
V. 36. Quoniam Elohim servabit Sion et aedificabit civitates Jehudah,
Ut habitent ibi et haereditate accipiant eam.
V. 37. Et semen servorum eius haereditate accipient eam,
Et diligentes nomen eius habitabunt in ea.

V. 35. Laudent ergo Deum coeli et terra, maria et quae in eis se movent : glorificatio enim hominis includit glorificationem omnium creaturarum, ut dicitur Rom. 8, 21-24, Apoc. 5, 8-12 et alibi.

Οὐρανοὶ ἀμφί τε γαῖα χορευόντων Βασιλῆν, πόντος ἀπειρέσιος, καὶ ὅσα τρέφει οἶδμα θαλάσσης. Apollinarius Laodicensis 33, 1409.

Versus 36[us] repetit quae iam occurrerunt, sed aliis verbis : nam Elohim salvam faciet Sion et aedificabit civitates Iuda (laudator Jehovae, is per quem Deus se glorificat, germ. Gottlob, Gottpreis), ita ut veri Israëlitae (Rom. 9, 6) in terra promissa (in Ecclesia) habitent et possideant eam (bonorum spiritualium Messiae participes

fiant, qui eis et temporalia non negabit, teste ipso apud Matth. 6, 36). « Post crucem et rabiem illam, canes illi exacti fuerunt : *diligentes autem ipsum, in Sione habitarunt, laudis sacrificium illi offerentes* » etc. Theodoret. Cyr. 80, 1414. — Continuatur idem argumentum

Versu 37°. Et veri servi Dei illam terram promissam haereditabunt et habitabunt in ea amatores nominis eius. Praedicitur hic et conversio Gentium et Iudaeorum in fine mundi et regnum iustorum post novissimum iudicium. Praeclarae praedictiones ! Utinam semper magis ac magis adimpleantur ! Est hoc desiderium ardentissimum sacratissimi Cordis Iesu.

Precemur cum eo ad Deum : Sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua sicut in coelo et in terra ! Et ad ipsum :

Quaerens me sedisti lassus,
Redemisti crucem passus,
Tantus labor non sit cassus ! —

Optime huc faciunt verba s. Ignatii Martyris contra dubia fidei, quae nos invadere possent : « Mihi loco antiquitatis est Iesus Christus, incorrupta et antiqua dogmata mihi sunt crux eius, et mors et resurrectio eius, et fides quae per ipsum. » Migne S. gr. 5. 703.

Numerus tertius decimus stropharum, uti e numero sexto addito septimo coalitus, forsitan innuit, potentiam mundi vinci per executionem foederis cum Deo. —

Sancta Mater, istud agas,
Crucifixi fige plagas
Cordi meo valide ! Giacopone da Todi.

VI. Ps. 22 (21). ORATIO CHRISTI CRUCIFIXI MORTI PROXIMI.

Ὁ μονογενὴς υἱὸς ὁ ὢν εἰς τὸν κόλπον τοῦ πατρός, ἐκεῖνος ἐξηγήσατο. Ioan. 1, 18.

Praecipua attentione dignus est hic psalmus, cum sit Oratio Christi ipsius crucifixi, morti proximi, ergo fusa tempore illo sacratissimo, quando sol gratiae et ardor malitiae erant in meridie. Cfr. cantic. 1, 7 (6). Sane David propheta tantum altissima contemplatione absorptus huius admirabilis psalmi verba audire potuit et eructare. Qui passionem Salvatoris sic describit, ut, dicente Cassiodoro 70, 153, non tam prophetia quam historia videatur.

Sententia autem quae tenet totum hunc psalmum dictum esse e persona Christi nititur :

1° Testimonio infallibili s. Ioannis evangelistae, qui post narratam divisionem vestimentorum Iesu 19, 23 s., sic eum loquentem introducit : « Partiti sunt vestimenta sibi, et in *vestem meam* miserunt sortem » (v. 19 h. ps.). Hic ergo loquitur Christus e persona propria. Quum autem in toto psalmo idem loquatur, sequitur, totum psalmum dictum esse e persona Christi. Quod confirmatur

2° testimonio s. Pauli qui in ep. ad Hebr. 2, 11 s. v. 23 huius psalmi ut verba Christi adducit ; ut probet, Christum non erubescere eos, ad quos sanctificandos cum destinaverat Pater, fratres suos vocare, sicut Matth. 28, 10 et Ioan. 20, 17 Christum post resurrectionem suam fecisse narrant. Quod roboratur

3° comparatione facta inter Matth. 27, 39 et v. 8 ps., et inter Matth. 27, 43 et v. 9.

4° Verba Salvatoris in cruce Ἠλί ἠλὶ κτλ sunt prima h. ps. De quibus optime Origenes : « Haec est, inquit, Domini Christi crucifixi vox » [1]. Quod antea iam dixerat s. Iustinus [2].

Quocum consentiunt Eusebius [3], Theodoretus Cyrensis [4],

1. M. S. gr. 12, 254.
2. M. S. gr. 6, 707.
3. M. S. gr. 23, 203.
4. 80, 1010.

s. Hieronymus [1], s. Augustinus [2], Cassiodorus [3], Walafridus [4], s. Bruno Carthusianus [5], s. Bruno Herbipolensis [6], Dionysius Carthusianus, Calmetius etc.

5° In oratione ad Christum crucifixum quae incipit : En ego, o bone et dulcissime Iesu, et pro cuius recitatione diversi Summi Pontifices indulgentias concesserunt, verba e versibus 17 et 18 h. ps. expresse tribuuntur Iesu Christo, cum dicatur : « Illud prae oculis habens quod *iam in ore ponebat Tuo David Propheta de Te, o bone Iesu : Foderunt manus meas et pedes meos ; dinumeraverunt omnia ossa mea.* » Dicit pius auctor (P. G. U.) : Qui crucifixum intuetur, hic tenetur exclamare cum s. Paulo : « Qui etiam proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum : quo modo non etiam cum illo omnia nobis donavit ? » Rom. 8, 32. Est interruptio argumenti, quod sequenter continuatur.

6° Theodorus Mopsuestenus damnatus est a quinto concilio œcumenico eo quod negasset Psalmum hunc secundum litteram ad Iesum Christum spectare.

7° Antiqui Ecclesiae Patres totum psalmum expressis verbis Christo adscribunt. Testis sit s. Iustinus dicens ad Tryphonem : « Ὅλον οὖν τὸν ψαλμὸν. ἀποδείξω ὑμῖν εἰς τὸν Χριστὸν εἰρημένον » (Migne S. gr. 6, 708). Quod et postmodum facit.

Testis sit porro Cassiodorus dicens : « Per totum psalmum loquitur Dominus Christus » [7]. Item Walafridus : « Quando hoc, inquit, in cruce dixerat, psalmum istum de se scriptum indicavit » [8]. Plura similia testimonia inferius occurrent.

Exhibebimus in sequentibus :

I. Locos discrepantes,

II. Continuam psalmi explanationem.

I

1. Iam in inscriptione psalmi occurrit discrepantia cum עַל־אַיֶּלֶת הַשַּׁחַר vertatur a Vulgata : pro susceptione matutina secundum exemplum LXX ὑπὲρ τῆς ἀντιλήψεως τῆς ἑωθινῆς, quod vertendum

1. M. S. l. 26, 931.
2. In expos. secunda.
3. M. S. l. 70, 152.
4. M. S. l. 113, 873.
5. 152, 718.
6. 142, 106-107.
7. Migne 70, 152.
8. M. 113, 873.

fuisset : super cervam aurorae. LXX et Vulgata, confundentes אַיֶלֶת cum אֵילוּת auxilium v. 20, verterunt prout diximus. Nos expressionem « Cerva aurorae » pro symbolo rei amoenissimae accipientes (consulas Cantic. 2, 7 et 8, 14 cum nostro commentario), eam de Resurrectione Christi interpretamur, quae revera est res amoenissima pro universo mundo. Quo sensu Eusebius scribit : « Ipsa psalmi inscriptio totum rerum quae de tempore resurrectionis Salvatoris Nostri ex mortuis in eo feruntur argumentum praefert (Migne 23, 202). » Qui tum loquitur de Luc. 24, 1-6 et de fructibus passionis Christi.

In v. 2° abundat in Vulgata : Respice in me. Porro שַׁאֲגָתִי non est delictorum meorum, ut habet Vulgata, sed rugitus mei vel alti clamoris mei, nam שְׁאָגָה Hebraeis proprium est nomen ad exprimendum rugitum leonis, ut patet e v. 14, item ex Isai. 5, 29. Zach. 11, 3. Iob. 4, 10. LXX et Vulgata confuderunt שַׁאֲגָתִי cum שְׁנִיאָתִי a verbo שָׁגָה erravit. Secundum hoc et Syrus habet in verbis errorum meorum, melius autem Aquila βρύχημα rugitus, et Quinta βόησις vociferatio, imploratio.

In versu 3° duo verba pro nobis potius sunt praesentia, quam futura. Praeterea דוֹמִיָּה non est ad insipientiam, ut habet Vulgata, sed silentium. Desperat psalmista rem suam eo deduci, ut tacere possit nec queri cogatur. Cfr. 39, 3. Ier. 14, 17. Hesychius ἄνεσις, ἀνάπαυσις. Forsitan LXX legerunt לִרְוָיָה ad deceptionem, quod tamen 32, 2 δόλον, 120, 2 δολίαν vertunt. Nonnulli putant, apud LXX lectionem οὐκ εἰς ἄνεσιν in οὐκ εἰς ἄνοιαν corruptam fuisse.

Versus 4^us^ secundum veritatem hebraicam sic sonat : *Et* tamen *tu sanctus es, sessor laudum Israëlis.* Admirabundus hoc dicit orans, quia prioribus seculis semper exauditi sunt, qui in Iehova speraverant. Vocat autem orans Iehovam sessorem laudum Israëlis, i. e. inhabitatorem sanctuarii, in quo ut preces ad eum pro auxilio ferendo fundebantur, ita et laudes et gratiarum actio pro lato auxilio decantabantur, יוֹשֵׁב תְּהִלּוֹת eadem constructio est ac יוֹשֵׁב כְּרוּבִים, quia laudes sunt quodammodo alae Cherubim super quas Iehova in Israël sedet.

In versu 8 duo sunt loci discrepantes, nam

a) הַפְטִיר בְּשָׂפָה non est loqui labiis, ut habet Vulgata, sed diducere labia, germ. das Maul aufreissen. —

b) abundat et inter labiis et moverunt. Insuper duo verba in hoc versu pro nobis sunt praesentia.

V. 9. גֹּל non est speravit ut dicit Vulg. sed volve sc. res tuas ad Iehovam. Cfr. 37, 5. Prov. 16, 3. Praeterea כִּי חָפֵץ בּוֹ non aequat quoniam vult eum, sed quoniam vel si delectatur eo, quod ironice hostes proferunt.

כִּי initio versus 10[i] non significat quoniam, sed est particula affirmativa hoc sensu : utique, Domine, fiducia mea in te, quam derident inimici mei, vera est, ego omnes res meas tibi commendo, tuque me liberabis. Quod probatur verbis sequentibus מִבְטִיחִי עַל־שְׁדֵי אִמִּי, quod non significat : spes mea ab uberibus matris meae, sed : tu confidentem me reddens vel fiduciam mihi inspirans ad ubera matris meae. S. Scriptura iam neo-natum, imo nondum natum infantem, quodammodo sui compotem esse supponit. Christus autem revera iam in utero ssmae Matris suae usu rationis gaudebat, quod de Davide non valet.

In v. 13[o] פָּרִים sunt tauri, non tantum vituli, et אַבִּירֵי בָשָׁן validissimi Basanitidis, non tauri pingues. Vocat autem orans adversarios suos tauros Basaniticos, quia regionis illius tauri robustissimi erant, sic designans adversarios suos ut potentes abutentes potentia, sicut Amos 4, 1 luxuriosas feminas Samariae vaccas Basan (Vulg. habet pingues) vocat. Regio illa fuerat regis Og., postmodum tribus Manassis Num. 32, 1.

In v. 14 nihil adest pro sicut in hebraeo.

In v. 15 וַתִּתְפָּרְדוּ non est dispersa sunt, sed disiunxerunt se, id est, universa compages ossium meorum cohaerentiam naturalem laxavit, tormentis crucifixionis, distenta et luxata. Insuper נָמַס (particip. Niphal a מָסַס, forma altera pro נָמַס), non coniungendum est cum cera, ut facit Vulgata, sed pro se sumendum est, ut indicat Athnach ergo : liquefactum, scl. est cor meum, quod intelligendum est de cordis deliquio ob angustias et dolores. — Denique pro בְּתוֹךְ מֵעָי forsitan melius diceretur in medio mei vel viscerum meorum vel intra viscera mea, quam in medio ventris mei.

V. 16. מְיֻדָּק est particip. Attamen pro eo Vulg. bene habet adhaesit, melius tamen posuisset adhaeret, quia status hominis moribundi describitur. Refertur ad לָשׁוֹן lingua, quod praeter Prov. 26, 28 semper est masculinum. Poëta faciliorem formam elegisse videtur, quin attenderet ad genus. — In eodem versu תִּשְׁפְּתֵנִי non est deduxisti, sed collocasti me. In pulverem mortis collocare aequat morti tradere.

In versu 17 nihil adest pro multi in hebraeo.

Insuper הִקִּיפוּנִי non est obsedit me, sed in orbe circuierunt vel circumcinxerunt me, plurali verbi ad statum constructum עֲדַת מְרֵעִים se referente, quod optime dicitur de Christi crucifixoribus.

Denique occurrit in hoc versu vox illa famosissima כָּאֲרִי, de qua nunc longius inquirendum est.

Codices in vocabulo כָּאֲרִי[1] consonantium varietatem exhibent triplicem : A.) כארי, B.) כארו, C.) כרו. Quorum unumquodque varie et efferri et explicari potest.

A.) Ut a כארי ordiamur, id a) vel כַּאֲרִי, vel b) = כָּאֲרִי pronuntiari potest.

a) In codicibus plerisque hodie extat כַּאֲרִי, quod interpretes vulgo habent :

α) pro nomine אֲרִי leo, cui praeposita sit particula כ, similitudinem indicans, quemadmodum praeter hic etiam Isai. 38, 13 invenitur. Nomen autem ארי hic vel nominativus vel accusativus esse potest.

1) Quodsi אֲרִי nominativum esse statuas, ad hostes querentis referendus est. Quia autem haec verba : sicut leo manus meas et pedes meos, per se nullum sensum habent, apparet, supplendum esse verbum aliquod : quale vero, vix dubitari poterit, quum הִקִּיפוּנִי proxime praecesserit. Quod ipsum tamen quum alii contundere, confringere (derivantes illud a נָקַף), alii circumire interpretentur, sequitur, bifariam posse verba ista accipi, vel sic : ad instar leonis manus meas et pedes meos contuderunt sive comminuerunt[2] ; vel hoc modo : sicut leo me circumdant quoad manus meas et pedes meos, ut facit Aben-Esra. Ex hac igitur interpretatione lamentatur querens, se a multitudine hostium, truculentia et saevitia leonibus similium, ita cinctum esse, ut et quod manibus faceret, pro se propugnando, et quo pedibus iret aut fugeret, sibi interclusa esse omnia.

2) Si אֲרִי accusativum esse censeas et vertas : tanquam leonem manus meas et pedes meos cingunt vel comminuunt, querens ipse leoni se comparat, in quem canum venaticorum turba undique irruit, iamque artubus suis mordicus inhaerent, ut quasi constrictum ipsum teneat. Ita famosus Paulus apud Rosenmüller.

1. Cfr. Rosenmüller. Videsis etiam: Textkristische Bemerkungen zu Ps. 22 (21), 17 von Prof. Dr. I. Döller in St. Pölten in d. Tübinger-Quartalschrift, 1900, 2 Heft.

2. Ita A. Schultens in Origg. Hebr. L. I, c. 12, 58. « Similitudo », inquit, « ob oculos ponit leonem נָקְאָה violentius praedae suae incubantem ; eique ossa ipsa comminuentem et commolentem, horrendo sub murmure. »

Verum quod hic legitur כָּאֲרִי, aliter interpretandum esse ac Isai. 38, 13 vetus est traditio, quam Masorethae servarunt. Ita Masora parva citata a Rosenmüller.

Plerisque eorum qui vocem istam non pro nomine habent

ב) כָּאֲרִי est numerus pluralis participii formae apocopatae pro כֹּאֲרִים a verbo כור fodere. Ita Pocock in Notis Miscellaneis ad Maimonidis Portam Mosis a se edit. p. 57. Sed falsa est illa opinio, qua litera Mem in nominibus pluralis numeri absoluti resecari statuitur. Accedit quod status absolutus hic ne locum quidem habere potest, quia sequitur יָדַי, unde in regimine כָּאֲרֵי ponendum esset. Et revera

ג) Extant codices qui pro כָּאֲרִי exhibent כָּאֲרֵי. Ita codex Psalmorum medio seculi 14^{i} scriptus apud Argentinenses, quem Kennicott n. 148 signavit. Item Hagiographorum codex, forsan sub sec. 13^{i} initium scriptus, quem de Rossi n. 368 designat. Hac sententia כארי est participium Kal formae rarae vertendumque esset cum duobus sequentibus vocabulis : fodientes vel fossores manuum mearum et pedum meorum.

B.) In quibusdam codicibus, veluti in codice Kennicott 39, nec non in duobus Rossianis, et in aliis a Masora magna et a Iacobo Ben Chajam memoratis[1], reperitur כארו, quod etiam diversimode explicatur.

a) Interpretes longe plerique vertunt כארו foderunt, illud derivando a כור cum inserto א, illique verbo tribuendo sensum verbi כָּרָה, quum et alia verba mediae radicalis Vav alteram forman verborum Lamedhe habeant, veluti דום et דָּמָה siluit, דוך et דכה contritus est, בוז et בזה sprevit et alia. Primi LXX interpretes verterunt : ὤρυξαν χεῖράς μου καὶ πόδας diu ante Christi adventum, qui propterea insimulari non possunt accomodasse versionem crucifixioni Christi, quos postmodum fere omnes christiani interpretes secuti sunt, illum locum de Salvatoris Nostri crucifixione interpretantes.

b) Aquila in editione prima ἤσχυναν foedarunt reddidit, quod ex Chaldaica dialecto sumptum est, qua כער vel כאר, Ajin et Aleph permutatis, est foedare vel inquinare. Obstat tamen huic interpretationi, quod verbum כאר sensu foedare non est hebraicum et propterea haec explicatio hic non quadrat. Quod etiam valet de derivatione ארי a verbo quovis affini Arabo, nam Arabicum non est Hebraicum.

1. Vide Rosenmüller.

c) Quod in quibusdam codicibus legitur, כָּרוּ ad utrumque verbum sive כור sive כרה referri potest, quare easdem quas כָּאֲרוּ interpretationes recipit.

Mihi, omnibus mature ponderatis, indubitatum fit, genuinum esse כָּאֲרוּ sensu foderunt, prout verterunt LXX, praecipue cum nomen contextui minime conveniat. Quapropter deinceps in bibliis hebraicis hanc formam imprimendam censerem. Conferantur Origenis Hexapla et Sabatier.

In v. 18° אֲסַפֵּר non est dinumeraverunt, sed dinumerabo vel aliquid simile. In sequentibus desunt coniunctiones vero et et in hebraico. Porro potius יַבִּיטוּ est inspiciunt et יִרְאוּ־בִי considerant me, quam vice versa, et sensu praesentia sunt.

In v. 19° verba יְחַלְּקוּ et יַפִּילוּ sunt praesentia descriptiva secundum linguas novas.

Versus 20 sic sonat secundum veritatem hebraicam : Tu autem, Iehova, ne stes a longe, fortitudo mea, ad auxilium meum festina, cfr. 38, 23 et 40, 14. אֲיָלוּתִי praeter hic nullibi in v. T. obvium, sine dubio idem significat ac אַיָּל 88, 5., quod cum אֵיל robur convenit. Vulgata pro Kal תַּרְחָק legit Hiphil תַּרְחִיק vel הַרְחִיק.

In v. 22 רְמִים non sunt unicornia, sed boves bubali, quorum adhuc nostris diebus magni greges inveniuntur in regionibus trans Iordanem. Videntur esse ferae saevae et periculosae. Utrum ferae μονοκέρως vocatae in Africa interiore exstiterint vel existant, non constat. Insuper עֲנִיתָנִי non est עֲנָוָתִי humilitas mea, sed exaudisti me. Dum querens queritur, accipit securitatem, se exaudiri.

Pro timeat eum versus 25 Vulgatae habetur in hebraeo adhuc in v. 24 וְגוּרוּ מִמֶּנּוּ et pavete ab eo.

In v. 25 secundum hebraeum et Vulgatam tres sunt loci discrepantes : 1) עֲנוּת עָנִי non est deprecationem pauperis, sed afflictionem afflicti. — 2) וְלֹא־הִסְתִּיר פָּנָיו מִמֶּנּוּ non est nec avertit faciem suam a me, sed : neque abscondidit faciem suam ab eo. — 3) וּבְשַׁוְּעוֹ אֵלָיו שָׁמֵעַ non est : et cum clamarem ad eum, exaudivit me, sed : et cum clamaret ad eum, exaudivit eum. שָׁמֵעַ est forma in pausa pro שָׁמַע ut 34, 7. 18. Ier. 36.13.

מִמְּאוּמָתֶךָ v. 26 non significat apud te, sed a te, ut 118, 23 hoc sensu : Tu effecisti, quod liberatus e tot tantisque malis, hilari mente celebrare nunc possum tuam bonitatem ; a te argumentum est laudis mihi. Cfr. Prov. 5.18.

עֲנָוִים v. 27 sunt potius pauperes spiritu quam divitiis, ergo humiles, ut patet e v. 30, cfr. 9, 11. — יְחִי לְבַבְכֶם, quibus verbis hospes, qui hic Salvatus est et Iehovae parte fungens, convivas benedicit, non vertantur cum Vulgata : vivent corda eorum, sed : vivat cor vestrum.

V. 28 לְפָנֶיךָ non est : in conspectu eius, sed : coram te.

Pro : Qui descendunt in terram v. 30 habetur hebraice יוֹרְדֵי עָפָר descendentes in pulverem, et pro : anima mea illi vivet v. 31 וְנַפְשׁוֹ לֹא חָיָה et animam suam non vivificat. Quibus pauperes designantur in oppositione ad praecedentes pingues terrae, id est, divites. חָיָה נֶפֶשׁ animam vivificare, id est, vitam conservare, ut Ez. 18. 27 cfr. Neh. 9.6. וְנַפְשׁוֹ positum est pro וַאֲשֶׁר נַפְשׁוֹ, quod hic necesse erat, quia לֹא ante participium poni non potest, cfr. 37, 21. 78, 39.

Pro et ante semen in versu 31° Vulgatae nihil invenitur in hebraeo. Item quae sequuntur sic sonant secundum veritatem hebraicam : semen (quod) illi serviet, adnumerabitur Domino (Adonai) ad generationem, id est, ad ecclesiam Dei, cfr. 24, 6. Deest ergo in hebraeo meum post semen, porro לַדּוֹר, pro quo Vulgata habet generatio ventura, certe non est nominativus, סָפַר denique de censu etiam occurrit II Paralip. 2, 16. II Sam. 24, 10. Lev. 15, 28 et alibi.

Denique finis psalmi secundum veritatem hebraicam sic vertatur : Venient et annuntiabunt iustitiam eius populo qui nascetur : ipsum fecisse. Omisit ergo Vulgata יָבֹאוּ, vel potius pro eo ventura posuit, inseruit pro וְיַגִּידוּ coeli, item quem ante fecit, omisit autem כִּי. צִדְקָתוֹ, hic est iustitia Dei quam manifestavit liberando Messiam a morte, id est, eum resuscitando a mortuis. עָשָׂה denique in fine pro se sumendum et de opere redemptionis generis humani per passionem Christi intelligendum est. Respondet verbo Christi τετέλεσται Ioh. 19, 30. Occurrit eodem sensu 52, 11. 37, 5. Isai. 44, 23. Comparari potest cum לַעֲשׂוֹת Gen. 2, 3 in fine historiae creationis mundi.

Exhibebimus nunc continuam psalmi explanationem.

II

Christus cruci affixus hunc psalmum orans, agit 1° de passione v. 1-22; 2° de glorificatione sua.

Pars prima longior duas habet sectiones, in quarum prima

Redemptor queritur et precatur, in secunda narrat et describit passionem suam.

Exhibeamus schema totius psalmi.

In prima parte agit Christus de passione sua. In prima sectione eiusdem queritur et orat, et quidem in prima stropha queritur quod non exaudiatur v. 2-3 ; in secunda miratur de hac re v. 4-6 ; in tertia exaggerat miseriam suam v. 7-9 ; in quarta totam fiduciam suam in Deo positam esse dicit v. 10-12.

In secunda sectione primae partis Patiens tranquillior factus memoria relationis suae ad Deum, dolores suos tam externos quam internos describendo animam sublevat.

Et quidem in stropha quinta hostes suos cum animalibus comparat v. 13-14 ; in stropha sexta, se morti proximum esse dicit v. 15-16 ; in septima stropha malignitatem crucifixorum suorum describit v. 17-19; in octava stropha auxilium Dei contra hostes suos implorat v. 20-22.

In secunda parte psalmi agit Christus de glorificatione propria et mystici corporis sui. Et quidem in nona stropha Patiens passionem suam salutarem hominibus annuntiare se paratum esse declarat v. 23-24 ; in stropha decima loquitur de acceptatione passionis a Patre coelesti v. 25. Sequitur in stropha undecima gratiarum actio, quae se vertit in propheticam praedictionem v. 26-27 ; in stropha duodecima conversionem gentium ad se praedicit v. 28-32.

Hic psalmus intendit excitare in cordibus hominum compassionem cum Christo patiente, desiderium Eucharistiae, fundationis et exaltationis Ecclesiae.

Positus est hic psalmus post 21 (20), quia ille est congratulatio cum Christo de gloriosa resurrectione, hic exhibitio medii ad illam perveniendi.

Prima ergo sectio quatuor constat strophis, ut diximus.

Prima stropha. Queritur Patiens quod non exauditur.

V. 2. Eli,Eli quare dereliquisti me ?
Longe a salute mea sunt verba rugitus mei.
V. 3. Elohai, clamo per diem et non respondes,
Et nocte, neque silere possum.

V. 2. Optime Theodoretus ad hunc versum scripsit : « Crucis ligno affixus in hanc vocem erupit, ipsa hebraica voce usus, ἠλί, ἠλί, λεμὰ σαβαχθανί[1] ; Quomodo igitur eiusdem veritatis testimo-

1. Matth. 27, 46. Marc. 15, 34. Videsis commentarium nostrum in Marc.

nium reiici potest..... Vocat igitur derelictionem non separationem divinitatis coniunctae, ut quidam [1] suspicati sunt, sed passionis factam permissionem. Aderat enim divinitas servi formae patienti, et sivit illam pati, toti hominum generi salutem moliens. Ipsa tamen nihil inde patiebatur ; quo enim pacto impatibilis natura pati posset. » M. S. gr. 80, 1010. Conferatur s. Iustin. ibid. 6, 707., s. Hieron. in Breviar. in ps. Migne S. l. 24, 931., s. August. ad h. l., s. Thomas Aq. Conferantur porro Ps. 88, 15. Isai 49, 14. Rom. 8, 32.

לָמָּה ut 10, 1 instantius quam לָמָּה, non est expressio impatientiae vel desperationis, sed admirationis et desiderii. Denique passio Christi magnum et inscrutabile est mysterium. Utitur Christus pro עַזַבְתָּנִי verbo Targumico שְׁבַקְתָּנִי, quia aramaica erat lingua eius, sicut orans ad Patrem אַבָּא dicebat. — Verbis : *Longe a salute mea verba rugitus* mei queritur Christus, quod non exauditur a Patre. Secundum scilicet naturam humanam horrebat Christus mortem, quam tamen secundum consilium Dei subire debebat et desiderabat pro salute generis humani. Ad שַׁאֲגָתִי sine dubio alludit illud Matthaei 27, 46 ἀνεβόησεν φωνῇ μεγάλῃ. Etiam illa κραυγῇ ἰσχυρᾷ, cuius meminit s. Paulus Hebr. 5, 7 non tantum de oratione Christi in horto olivarum intelligatur, sed etiam ad hunc versum referatur. Qui dicens, Christum exauditum esse, non huic versui contradicere putetur, sed de oratione Christi pro glorificatione sua et glorificatione salvandorum intelligatur. Optime huc faciunt verba s. Alphonsi, quae in Apocalypsi nostra pag. 113 allegavimus : « O superexcedens mensura amoris Dei, quam omnes angeli et omnes homines nunquam perfecte comprehendent neque celebrabunt. » Continuatur

Versu 3° querimonia Christi patientis. Ponuntur dies et nox ad designandum continuum clamorem Christi ad Patrem a primo instante conceptionis suae in utero ssmae Matris suae Immaculatae usque ad obitum suum in cruce, imo usque ad finem mundi in ssmo altaris Sacramento et in coelo, cum hic agatur de petenda remissione peccatorum et obtinendis bonis. Cfr. Apoc. 5, 6. I. Ioan. 2, 1. Insuper nox praecipue intelligatur de nocte postquam comprehensus est a Iudaeis usque ad sequens mane, et de nocte Passionis Matth. 27, 45 ss., Marc. 15, 33 ss., Luc 23, 44 ss. Non potest D. N. cessare in oratione, cum tot sint res ad quas obtinendas cor eius amantissimum impellant honor Dei et salus hominum. Bene s. Bonaven-

1. Ariani.

tura exclamat : « Admirabile est, mi Deus, quod corda hominum consideratione talis amoris non scindantur » (Stim. c. 2).

Vocat Christus hic Deum אֱלֹהַי nomine reverentiae cum suffixio amoris. Bene etiam s. Bruno Astensis Christum hic sic loquentem introducit : « Pro membris meis clamo, quae iam per totum mundum pro meo nomine tam dura tormenta pati conspicio..... Insuper autem et pro illis clamo, qui tanto mei sanguinis pretio redempti peccare non cessant, et in suis iniquitatibus perseverant, pro quibus nimirum et nunc et semper me ad te clamare necesse erit. » Migne S. l. 164, 765.

Stropha secunda. Miratur Christus, quod non exauditur.

V. 4. Et tamen tu es Sanctus, Sessor laudum Israel !
V. 5. In te speraverunt patres nostri,
Speraverunt et tu liberasti eos.
V. 6. Ad te clamaverunt et erepti sunt
In te confisi sunt et non sunt confusi.

V. 4. Verbo וְאַתָּה incipit sententia adversativa : Quamquam sis, et tamen es. Iehova est קָדוֹשׁ simpliciter purus et lucidus, a quo ergo iustus liberationes e manibus impiorum sperare potest, et talem eum se praebuisse temporibus praeteritis probant תְּהִלּוֹת Israël, de quibus videas supra. Sensu huius versus nominat Ioannem in Apocalypsi 3, 7 Christum Sanctum, et scribit ad illum versum s. Thomas : « Sanctus roborando tentatos seu tribulatos..., quia Dominus dabit robur et fortitudinem ad sustinendum quia sanctus est. » — In duobus sequentibus versibus praecipue memoratur liberatio ex Aegypto.

In v. 5 causa liberationis exprimitur duobus perfectis, liberatio autem ut consequens uno futuro. Ad hunc versum adnotavit s. Bruno Herbipol. e s. Hier. (M. 142, 107-108) : « Speraverunt patriarchae, et liberavit eos ex Aegypto. Speraverunt in deserto et liberati sunt, quanto amplius filium pater liberat dum petit et vult liberari. »

In v. 6 clamor et liberatio perfectis exprimuntur, forsitan ut demonstretur, quam cito Deus clamorem patrum exaudierit. פָּלְטוּ et מִלְּטוּ alternant inter se, cfr. 17, 13 cum 116, 4. S. Haymo ad hunc vers. apposuit (M. 116, 264) : « Ad te clamaverunt, veluti in deserto pro aqua, pro cibo, et salvi facti sunt corporaliter recipiendo

petita (Exod. c. 15 et c. 16). Quid singula enumerem. « In te speraverunt et non sunt confusi », id est, erubescentiam non habuerunt quod in nullo quod speraverunt fraudati sunt. »

Tertia stropha. Describit Orans propriam abiectionem.

V. 7. Ego autem sum vermis et non vir,
Opprobrium hominis et abiectio populi.
V. 8. Omnes videntes me derident me,
Deducunt labium, movent caput :
V. 9. Devolve (res tuas) ad Iehovam, liberet eum,
Eripiat eum, quandoquidem delectatur eo.

V. 7. תּוֹלַעַת est vermis, forsitan ob colorem coccineum sic dictus, cui similis erat D. N. in passione sua. Apud Isai. 41, 14 sic vocatur Israel. Capite autem 52 v. 14 ibid. Messias patiens sic deformatus vocatur, ut non sit similis viro nec filio hominis. Cfr. etiam Isai. 49, 7. 50, 6. 53, 3. Certo dicitur Christus vermis ob eius nimiam humilitatem quia vermiculus facile a quovis praetereunte conteritur. Bene autem scripsit de sequentibus s. Bruno Carthus. (M. 152, 720) : « Sum opprobrium hominum, id est, tantum videor eis vilis quod omnibus, quorum sum particeps naturae, opprobrium esse videar. Et, ut vehementius dicam : sum abiectio plebis, id est, purgamentum omnis plebis cum interficior, sicut sordes cum a domibus abiiciuntur, istae purgantur. » Consulatur officium de Passione Domini.

V. 8. LXX verterunt יַלְעִיגוּ לִי ἐξεμυκτήρισάν με, quod etiam s. Lucas usurpatur in passione Dni 23, 35 cfr. 16, 14, ita ut praedictio et adimpletio plene conveniant. De הִפְטִיר בִּשְׂפָה consulas superius dicta. Confer etiam quoad praedictionem Isai. 57, 4 et Sap. 2, 18., et quoad adimpletionem Matth. 27, 39. נוּד(נוּד) non est annuere προσνεύειν nicken, sed movere schütteln, non ad aliquid approbandum, sed ad aliquem irridendum, ut 109, 25 cfr. 45, 15. 64, 9. Etiam verbum ἐκίνησαν, quo LXX יָנִיעוּ verterunt, adhibetur in passione Dni a s. Matthaeo 27, 29 et a s. Marco 15, 29., ita ut etiam hic praedictio et adimpletio plene conveniant. « Qui eum crucifixum videbant, capita quisque movebant (ἐκίνουν), et labia distorquebant, ac naribus inter se certantes, ea per iocum dicebant quae in commentariis apostolorum scripta sunt » etc. St. Iustin. (M. S. gr. 6, 711).

V. 9. גֹּל non est inf. abs. ut קֹב Num. 23, 23., neque 3 pers. praet ut אוֹר, בּוֹשׁ, sed sicut 37, 5. Prov. 16, 3 cfr. Ps. 55, 23 imperativ. ;

volve, devolve scl. tormenta et actiones tuas ad Iehovam, id est, commenda ea Iehovae. Vide supra. Illusores hoc גֹּל patienti acclamant et reliqua oculo sinistro eum intuentes de eo dicunt. Cfr. Matth. 27, 43 ubi evangelista magis ad sensum quam ad literam locum hunc allegat, ponens tamen Ῥυσάσθω et εἰ θέλει αὐτόν, mutans autem ὅτι in εἰ. Cfr. etiam Sap. 2, 13. « Non descendit de cruce : nam ideo venit ut crucifigeretur pro nobis. » St. Chrysost. in hom. 88.

Quarta stropha. At quamvis Patiens sit abiectus, tamen sperat in Deo.

V. 10. Utique, tu es eductor meus ex utero,
Tu mihi fiduciam infudisti ad ubera matris meae.
V. 11. In te proiectus sum e vulva,
Ab utero matris meae Deus meus es tu.
V. 12. Ne longe sis a me, quoniam angustia propinqua est,
Quoniam non est qui adiuvet.

V. 10. De cohaerentia huius versus cum praecedente videas supra p. 102. גֹּחִי a verbo גִּיחַ (גִּיחָ) erumpere (e ventre matris) Iob. 38, 8 et erumpere facere Mich. 4, 10 est particip. act. = גָּחִי ad normam verborum Ajin-Vav. In ps. 71 pro eo habetur גּוֹדִי a גָּדָה resecare, relaxare, et pro מִבְטַחִי מַבְטִיחִי a hiphil הִבְטִיחַ fiduciam inspirare. Christus iam in utero ssmae Matris suae rationis capax erat et fiduciam plenissimam habebat in Deo. « Singulariter dicit Christum abstractum ex utero matris, quia mirabiliter conceptus est, et sine semine natus, servata matris integritate. » S. Thomas. Item dici potest extractus e ventre, quia prodiit ex utero Virginis Matris clauso, ubi extractus non referendum est ad vim physicam, sed ad magnitudinem miraculi. Idem s. Thomas scripsit : « Tu es spes mea ex quo homo sum et suxi ubera matris meae ; quia cum erat Verbum apud Deum, non conveniebat ei sperare : Ps. LXX, 5. Spes mea a iuventute mea. »

V. 11. Optime hic dicta valent de Messia, qui egenus et pauper erat rebus humanis et opus redemptionis divina ope perfecit, Deumque super omnia amabat. Notatu dignum est, quod hic iterum recurrit Mater Messiae, de eius genitore autem nullibi sermo est. « Parvulus in gremio se fundit et resolvit humano..... Parentis in collo stringitur, et stringit toto charitatis amplexu : pauper agit semper, solitarius semper incedit. » S. Petr. Chysolog. S. 164.

V. 12. Quia ergo iam a tam longo tempore sperat in Deo, dignum est, dicit Patiens, ut ab eo adiuvetur. Duo כִּי sibi coordinata sunt. Pulchra est oppositio prope est tribulatio, ergo ne remaneat a longe Deus, nemo enim efficaciter iuvat et iuvare potest praeter eum, ut etiam dicitur 60, 13 : « Docet in Deum, qui omnia creavit, sperare omnes debere ». St. Iustin. « Spem suam Deo committere ». S. P. Bened.

In secunda sectione primae partis Patiens tranquillior factus memoria relationis suae ad Deum, dolores suos tam externos quam internos describendo animum sublevat.

Stropha quinta. Describit hic Patiens potentes hostes suos, qui caeco furore eum impetunt.

V. 13. Circumdederunt me tauri potentes,
Fortes Basanitidis circumcinxerunt me.
V. 14. Dilatant contra me os suum,
Sicut leo rapiens et rugiens.

V. 13. Describit hic Salvator hostes suos, eos cum animalibus comparans. Haec comparatio in eo fundatur, quod antiquitus modus agendi animalium ad normam agendi hominum diiudicabatur, unde etiam animalia in pura et impura distinguebantur. Insuper haec comparatio praecipue ea ratione nititur quod post deiectum hominem in peccatum a satana per animal, animal et satan in generatione veteris Adami duae dominantes potentiae sunt. De tauris confer Eccl. 6, 2 et Iob. 15, 26. De quibus ad h. l. adnotavit s. Hier. (M. 27, 934) : « Tauri dicuntur propter superbiam illorum ; id est, principes illorum Anna et Caiphas, vel reliqui. Pingues, propter crassitudinem malitiae. כָּתַר augens synonimum verbi סָבַב est cum hoc circumdare, illud undequaque cingere significet, cfr. Iob. 19, 12.

V. 14. Apte comparantur inimici Christi cum leone, qui ut aspicit praedam, rugiendo aviditatem suam eam dilaniandi manifestat. « De Iudaeis loquitur, quando circumdederunt eum et clamabant : Tolle, tolle, crucifige eum (Ioh. 19, 15). » S. Athan. M. S. gr. 27,723. Quod tamen etiam valet de tempore, quando Salvator ductus est in montem Calvariae, ut ibi crucifigeretur, et de tempore, quando pendebat in cruce.

Stropha sexta. Patiens se morti proximum esse dicit.

V. 15. Sicut aqua effusus sum
Et disiunxerunt se omnia ossa mea.

Factum est cor meum tanquam cera,
Liquefactum in medio viscerum meorum.
V. 16. Aruit tanquam testa vis mea
Et lingua mea adhaeret faucibus meis
Et in pulverem mortis collocasti me.

V. 15. Salvator morti proximus censendus est. Eruitur hoc e dictis ipsius Salvatoris : 1° se esse effusum, 2° membra sua esse disiuncta, 3° cor suum esse liquefactum.

Dici potest Salvator effusus ob magnas sanguinis effusiones, nam homo effunditur, si sanguis eius effluit, in quo est anima eius. Potest etiam dici effundi homo, si vires eius sensim evanescunt secundum dictum Thecuitis ad Davidem : « Omnes morimur et *quasi aquae effundimur* vel dilabimur in terram, quae recolligi non possunt ». II Sam. 14, 14., cf. : etiam Thren. 2, 11. Uti colligimus e verbis citatis, effusio sanguinis tamquam aqua est illa quae fit absque ulla utilitate, sed etiam accipi potest pro illa quae fit absque mensura. Quo sensu Ecclesia canit de Christo :

Ut plena sit redemptio,
Sub torculari stringitur,
Suique Iesus immemor
Sibi nil reservat Sanguinis.

Consulatur hymnus : Salvete Christi vulnera in officio pretiosissimi Sanguinis D. N. I. Ch., et officium votivum de Passione Dni, et praecipue Ioh. 19, 34.

Ossa autem Salvatoris e suis locis mota sunt, cum corpus eius affixum cruci in ea extensum pendebat.

Cor autem Salvatoris crucifixi factum est cicut cera et diffluxit, quando summa in angustia vulnera eius aestuarent et sanguis eius magno impetu in caput et pectus se transfunderet, quod cruci affixis mortem affert.

V. 16. Vires vitales arescere dicuntur, cum exhauriuntur vel evanescunt, cum vis vitalis posita sit in succu et humore quodam, quo totius corporis structura sustinetur et inter se continetur, in senectute vero exsiccatur. Unde loquimur de humore vitae, humore radicali, quem Talmudistae כִּיחַ salivam nominabant. Dicit ergo hic Salvator patiens : succus viriditatis et roboris mei exaruit in membris meis et factus sum sicut testa argillacea, cuius humor in furno solet absumi atque excoqui, cfr. 32, 34 et Prov. 17, 22.

Cohaeret cum praedicto quod sequitur : *Et lingua mea adhaeret palato meo*, id est, prae dolorum aestu ita siccesco, ut arida mea lingua ad fauces adhaerescat, nec ei ad se movendam vigor suppetat. Similis huic loco est Iob. 29, 10 : « Lingua faucibus adhaerebat ipsis », et Ezech. 3, 26 : « Faciam ut lingua tua palato adhaerescat mutusque fias ». Propterea Salvator in cruce pendens tanta cruciabatur siti, ut exclamaret : Sitio, et quidem, ut adnotavit s. Iohannes, ut adimpleret scripturam, quod de versu hoc valet. « Multum possunt dolores ad commovendam sitim ; innatum enim calorem exagitantes, vel, quod in profunditate humidum est, consumunt et igneis ardoribus dolentis viscera urunt. Sicut igitur ceteras passiones, sic hanc etiam Christus perpessus est. » S. Cyrill. Alex. in Ioan. lib. 12. cap. 35. — At Iudaei et Pilatus nullam potestatem in Christum habuissent, nisi Deus illis eam concessisset in hunc finem, ut per passionem et mortem Filii sui mundum redimeret. Propterea Christus patiens praedictis addit : Et in pulvere mortis collocas me, id est, morti me tradis, Tu, Pater mi, qui es in cœlis. Ponitur autem pulvis mortis pro morte forsitan ea de causa, quia corpora mortuorum in pulverem rediguntur, ex quo tamen inferri non potest, id etiam fieri debuisse de corpore Christi. Supplicium Christi ergo a parte inimicorum eius consideratum maxima est iniustitia, a parte disponentis Dei autem maxima misericordia.

Stropha septima. Descriptio malignitatis crucifixorum.

V. 17. Quoniam circumdederunt me canes,
Concilium malignantium circumcinxit me,
Foderunt manus meas et pedes meos.
V. 18. Dinumerare possum omnia ossa mea,
Ipsi inspiciunt, considerant me,
V. 19. Dividunt vestimenta mea inter se
Et super vestem meam mittunt sortem.

V. 17. In figura a canibus desumpta non tantum impudentia, sed etiam mordacitas et persequendi aviditas se manifestat, quare Symm. et Theod. pro kelabim θήρανται κυνηγέται posuere ; neque infamandi, sed figurate indolem designandi causa hoc vocabulum positum est, ut κύνες in N. T. apud Matth. 7,6. ad Philipp. 3,2. in Apoc. 22, 15. Τῷ kelabim succedit עֲדַת מְרֵעִים, cuius praedicatum sive per attractionem (cfr. 140, 10. I Sam. 2, 4), sive ob sensum collectivum τοῦ עֵדָה in plurali positum est. הִקִּיפָ sicut כָּתַר synonymon

augens כְּנֶסֶת est. Tertullian. habet : synagoga maleficorum, et s. Hieron. : concilium pessimorum. עֵדָה quidem est nomen populi Israël, sed etiam congregatio seditiosa Core Num. 26, 9 sic vocatur. Qui duplex sensus hic optime facit. cum populus Israël in coetum malignorum conversus reiecerit et crucifixerit Christum. Tertia pars huius versus de crucifixione Christi agit, sicut supra monstravimus, de qua bene s. Athanas. : « Clavos in pedibus et manibus eius significat ». Dicamus quoque cum Venantio Fortunato : O crux, ave, spes unica.

V. 18. Quia omnia ossa Christi in cruce extensi disiuncta erant, ut dixit v. 15, et praeeminebant, propterea Patiens ea numerare potest. Describit ergo hic versus magnitudinem et acerbitatem passionis Christi. Sic extensus in cruce, ut omnia ossa eius numerari possent, erat Salvator patiens spectaculum inimicis suis. Adspectant me, dicit ipse, inimici mei sic affectum, et hoc spectaculo pascunt oculos suos, voluptatem percipientes de calamitoso statu et misera specie mea, ita ut bene s. Bernardus exclamet : « O novissimum et altissimum ! O humilem et sublimem ! O opprobrium hominum et gloriam angelorum ! Nemo illo sublimior neque humilior. » In offic. v. de P. D. Cfr. Isai. 52, 13. 53, 12. Verba videndi cum ב constructa significant aliquid cum voluptate et oblectatione intueri, ut ps. 54, 9. 118, 7. Ez. 28, 17. Certe hoc in versu descriptum nunquam Davidi accidit, et propterea hic psalmus ei applicari non potest. Accedit argumentum pro hac re etiam

Versu 19°. Nusquam legimus, inimicos Davidis vestimenta eius divisisse vel super vestem eius misisse sortem, de Christo autem hoc evenisse ad literam narrat s. Ioannes 19, 23-24. Diviserunt milites בְּגָדַי Christi inter se, facientes ex eis quatuor partes, et super לְבוּשִׁי eius χιτῶνα ἄραφον miserunt sortem לְבוּשִׁי est vestimentum quod tegit corpus ne nudum sit, בְּגָדַי vestimenta quibus quis se involvit. « Hoc in passione Christi completum est, quando fecerunt quatuor partes, quatuor milites. Tunica tamen non est divisa significans unitatem Ecclesiae, quae non scinditur, quamvis haeretici eam scindere contendant. » S. Bruno Herbipol. (M. 142, 110). Hoc facto passio culmen attigit, nam si vestimenta patientis dividuntur, ipse pro mortuo reputatur.

Stropha octava. Imploratio auxilii Dei contra hostes.

V. 20. Tu autem, Iehova, ne stes a longe !
Fortitudo mea, ad auxilium meum festina !

V. 21. Eripe a framea animam meam,
E manu canis unicam meam !

V. 22. Salva me ex ore leonis
Et e cornibus bubalorum exaudis me.

V. 20. Reassumitur petitio versus duodecimi. Vocabulo יְאָתָּה oculi Patientis inter tot tormenta subito ad unum Iehovam diriguntur, quem Patiens nominat אֵילוּתִי nomen abstractum a אַיִל 88, 5 : universitatem virium vel, ut ita dicam, ideam vel speciem virium. Etiam Matth. 26, 64 vocat Christus Deum δύναμιν. « Hic humanitas ad divinitatem loquitur. Et resurrectionem celerrimam deprecatur ut veniente tali gloria, perfidorum incredulitas destruatur. » S. Bruno Herbipol. 142, 110.

V. 21. חֶרֶב gladius positum est hic pro omni instrumento quo occiditur. יָד etiam occurrit de leone et urso I Sam. 17, 37 et de flamma Isai. 47, 14. Occurrit etiam in sensu : potestas. יְחִידָה nomen est pro anima נַפְשִׁי sicut etiam 35, 17. LXX ambobus in locis verterunt τὴν μονογενῆ μου. Vulg. unicam meam ad sensum Gen. 22, 2. Iud. 11, 34. Est autem anima unica, quia homo praeter eam non habet alteram, habet vitam unicam praeter quam nullam alteram dare potest. Propterea anima et vita est amatissimum, carissimum, ut dicit Homerus, φίλον κῆρ, ut dicit Plato, τιμιοτάτη. Ex quo concludere possumus, quanti aestimanda sit traditio voluntaria vitae Iesu Christi in mortem, quamvis animi affectu mortem horreret. « Et de manu canis, id est, de potestate Iudaici populi, irrationabiliter oblatrantis, ne me possint detinere in morte, ut cupiunt. » S. Bruno Carthus. 152, 723.

V. 22. Vide superius dicta. Quoad finem versus conferas עֲנִיתָנִי 118, 5. « Consummatum iam esse Salvator dicit, quia saeviendi. Iudaeorum potestas in ipsum per mortem suam terminum habuit. » S. Cyrill. Alex. in officio votivo de Pass. Dni.

« Flet, orat, et clamans obit ». Ibid.

In secunda parte Psalmi agit Christus de glorificatione propria et mystici corporis sui.

Stropha nona. Promptitudo Patientis annuntiandi passionem suam salutarem hominibus.

V. 23. Narrabo nomen tuum fratribus meis,
In medio Ecclesiae laudabo te.

V. 24. « Qui timetis Iehovam, laudate eum,
Universum semen Iacob, glorificate eum
Et timete ab eo omne semen Israel. »

V. 23. Patiens sibi conscius, Deum ob passionem suam salvaturum esse homines, hoc Dei opus annuntiare intendit fratribus suis tum secundum carnem, tum praecipue secundum spiritum. קָהָל aequat ἐκκλησία, cfr. 2, 12. Optime Theodoret. Cyr. : « Hic psalmus, inquit, Domini Christi passionem et resurrectionem, et gentium vocationem, et totius orbis salutem praedicit » (M. S. gr. 80, 1007). Et s. Bruno Herbipol. : « In hoc psalmo, inquit, Christus de passione sua ad patrem loquitur, admonetque fideles laudare Dominum, quia in resurrectione sua catholicam respexerit Ecclesiam » (M. S. l. 42, 106-107). — Sequitur

Versu 24° introitus evangelii de redemptione per Christi personam, quod omnes audiant qui Dei revelationi credunt. גּוֹר בֵּן fortior est expressio pro יָרֵא בֵּן 33,8. Videas s. Pauli ad Rom. 2, 10-29. Ioh. 1, 12-13. Cantic. 1,7 (6). Gen. 32, 24. « Post sacram passionem dicit gloriam Divinitatis toto orbe vulgandam » Cassiodor. (70, 163). Quod postea repetivit s. Bruno Herbipol. Bene autem adnotavit de forma horum verborum s. Bruno Carthus. : « Facit apostrophem ad illos qui crediturі sunt » (152, 724).

Sequitur in

Stropha decima evangelium ipsum.

V. 25. Quia non sprevit neque abominatus est afflictionem afflicti

Neque abscondit faciem suam ab eo.
Et cum clamavit, eum exaudivit.

Hic sermo est de acceptatione Passionis Christi a Patre cœlesti. Recte autem vocatur oblatio Christi in cruce a s. Ambrosio : « accepta Deo hostia per totum mundum odorem sanctificationis effundens » (in ps. 118, oct. 3). Conferatur Cantic. 1,13 (12) et doctrina Ecclesiae de meritis oblationis Christi in Cruce. Vocula כִּי materia laudis introducitur. עָנִי est ille qui externe humiliatur et עָנָו ille qui interne se humiliat ; עֳנִית construct. ab עֲנוּת humilitas, afflictio, germ. das Gebeugtsein, ab עָנָה proprio passionis verbo, nam etiam apud Isai. 53, 47 servus Iehovae vocatur מְעֻנֶּה et נִגַּשׂ, et etiam Zacharias vocat eum 9,9 עָנִי et נוֹשָׁע. Ex duobus verbis בָּזָה despicere et שָׁקַץ abominari novimus, patientem iram Dei expertum esse, quae tamen versa est in amorem salvationis ; Deus ei non per longum tempus abscondit faciem suam, sed exaudivit eum, nam deprecatio eius ei placuit. Permisit quidem ut occideretur, sed ut amore se glorificaret in eo,

qui etiam moriens divinum amorem non deseruit. Cfr. Act. 5, 30-31. Post evangelium boni nuntii sequitur in

Stropha undecima gratiarum actio, quae se vertit in propheticam praedictionem.

V. 26. A te est argumentum laudis mihi in magna Ecclesia,
Vota mea reddam coram cultoribus eius.
V. 27. Edent humiles et saturabuntur,
Laudabunt Iehovam quaerentes eum :
« Vivat cor vestrum in aevum ».

Hic sermo est de celebratione passionis Christi per sacrosanctum Missae sacrificium. Conferatur canon Missae.

V. 26. Quod Patiens in tanta ecclesia (40,10) confiteri et gratias agere potest, a Deo venit (vide superius), vel, ut dicitur 71, 6., in Deo causam habet. De ecclesia autem dicit s. Aug. : « In ecclesia magna, id est, in toto orbe, non modo in Africa, ut Donatistae aiunt. » Apud Petr. Lombard. Migne S. l. 191, 237. יְרֵאָיו sunt membra Ecclesiae (קָהָל). Vota sua reddet Patiens Iehovae offerendo hostias pacificas, quas voverat : שַׁלְמֵי נֶדֶר, ad quarum oblationem post factam aspersionem sanguinis זְרִיקָה et oblata pinguia super altare הַקְטָרָה, reliquae carnes ab eo qui offerebat ad paranda laeta convivia coram Iehova insumebantur, quae in oblationibus pro gratiarum actione usque in noctem diei oblationis protrahi poterant, et in iis quae voti causa vel sponte fiebant, etiam sequens dies ad ea finienda insumi poterat (Lev. 7, 15 et 16). Proprio sensu his votis hic venit sacrificium Missae, teste s. Augustino : « Vota mea, id est, sacrificium corporis et sanguinis mei ». Apud P. Lombard. ut supra. Ad quem locum fere idem adnotant Cassiodorus, s. Bruno Herbipol. et alii. Ad convivia post sacrificia pacificorum, quae adumbrabant sacrificium eucharisticum, pauperes invitare non erat quidem de praecepto, sed tamen de consilio, ut innuit

Versus 27[us]. De hoc versu iam supra locuti sumus. Agitur hic de convivio pro quo convivae gratias agent Deo, qui illud per Salvatum paravit. Alluditur etiam hic ad ritum pacificorum. Certo etiam constat, hic agi de benedictione quae e salvatione Passi in omnes huius convivii convivas redundat, ergo hic agi de convivio quodam eminentiore et de cibo spiritali. Nos autem scimus, sacrificium Missae esse idem cum illo crucis, et per ipsum praecipue sacram Communionem accipientibus applicari merita sacrificii cru-

cis ut patet ex Antiphona : « O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius » etc. Non dubitandum est ergo, quin de Missa et Communione hic sermo fiat, ut adhuc clarius patebit e

Stropha duodecima. Conversio gentium ad Christum eucharisticum.

V. 28. Reminiscentur et convertentur ad Iehovam omnes fines terrae,
Et incurvabunt se coram te omnes familiae gentium.
V. 29. Quia Iehovae est regnum et ipse dominans est in gentibus.
V. 30. Edent et prosternent se omnes pingues terrae
Coram eo procumbent omnes descendentes in pulverem et qui animam suam non vivificat.
V. 31. Semen (quod) illi serviet, adnumerabitur Domino (Adonai) ad generationem.
V. 32. Venient et annuntiabunt iustitiam eius populo qui nascetur : ipsum fecisse.

Haec stropha dici potest stylobates totius psalmi.

V. 28. Patiens ut fructum praedicationis rerum quas Iehova in eo patravit, conversionem omnium populorum exspectat. Ethnici ut homines considerantur, qui Iehovae obliti sunt 9, 16. Latet, ut dicunt Patres, etiam in ethnicis cognitio quaedam Dei naturalis quam praedicatio salvationis (Resurrectionis) huius Patientis in memoriam reducet. « Non igitur sic erant oblitae istae gentes Deum, ut eius nec commemoratae recordarentur. » S. Augustin. De Trinitate l. 14, c. 13.

V. 29. Illa conversio fiet per Iehovam, qui rex est super omnes gentes. In וּמֹשֵׁל participium sine designatione personae, sensum praesentis habet, neque הוּא supplendum est (cfr. 7, 10. 55,20) : regnans est, regnat. Conversione ergo populorum per illam praedicationem regnum Dei fundabitur. Quis hic non recordaretur sacri Imperii Romani et libertatis Ecclesiae ! Conferantur psalmi 2 et 110 (109), Leo, Vorlesungen über deutsche Geschichte I, 481, dictum s. Anselmi : « Nihil magis diligit Deus in hoc mundo, quam Libertatem Ecclesiae suae ». Ep. 9 ad Balduin. ref.

Iterum redit sermo ad magnam illam coenam

Versu 30°, quae tam pretiosa erit, ut etiam divites eam omnibus deliciis anteponant, et in gratiarum actionem ob tam praeclarum

cibum adorantes in terram se prosternant. יִשְׁתַּחֲוֺי fut. consec. indicans quid sequatur participationem sacrae coenae. Etiam pauperes (vide supra) genua flectent [1], quia digni habiti sunt participes sacrae mensae fieri. Est eadem magna coena, de qua Isai. 25, 6 prophetat. et, ut ita dicam, verborum suorum musica comitat. Aptissime s. Fr. Salesius ex hoc loco Eucharistiam adorandam esse ostendit, scribens : « Ceste adoration ayant esté preveue par David, il en tressaute de consolation au Pseaume 21, et chante : Manducaverunt et adoraverunt omnes pingues terrae. Manducaverunt, ait Augustinus [2], corpus humilitatis Domini sui divites terrae; nec sicut pauperes saturati sunt usque ad imitationem, sed tamen adoraverunt [3], Arnobius [4], Basilius [5], Theodor [6] » [7]. Euangelium autem facti illius salutiferi Salvatoris transit a generatione in generationem, est opus ad salutem omnium, ut dicitur in duobus ultimis versibus.

V. 31. De hoc versu vide supra. Semper novum semen adnumeratur Ecclesiae, quia Ecclesia semper crescit usquedum omnes gentes secum coniunxerit. Bene s. Beda dicit : « Ecclesia quotidie gignit ecclesiam, mundum in Christo regentem ». Ad Apocalyps. 12, 5. Quid faciant membra Ecclesiae dicitur

Versu 32°. De quo vide supra. יָבֹאוּ tantum ornatus causa positum est. Praecipuum Christianorum est praedicare Christum. Bene habent LXX λαῷ τῷ τεχθησομένῳ (cfr. 102, 19), pro עַם נִבְרָא populus creandus, ex quo etiam cognoscimus, christianum esse novam creaturam. Quapropter canitur in benedictione Fontis Sabbato Sancto de prole baptizanda : In novam renata creaturam, progenies coelestis emergat.

Concludamus verbis Sequentiae :

Lauda, Sion, Salvatorem,
Lauda, ducem et pastorem
In hymnis et canticis.

1. Nos verba huius versus : prosternent se coram eo omnes in pulverem descendentes et omnis qui vitam suam vivificare non potest, applicare possumus moribundis sacra communione reficiendis. « Esto nobis praegustatum mortis in examine ».
2. Epist. CXL seu de Grat. Novi Test. ad Honor. catechum. c. XXVII.
3. Sed hic non de divitibus terrae, sed de divitibus christianis sermo est.
4. Iunior. Claruit. c. 460 in Ps. 21, 30.
5. Schol. in Ps. 21, 30 (in App. s. Bas.).
6. Interpet. in Ps. in eund. loc.
7. Vid. Œuvres de St. Fr. de Sales (Annecy 1896 et 97), t. 7, p. 339.

VII. PS. 16 (15). ORATIO CHRISTI STATIM UT EXSPIRAVIT IN CRUCE.

Εἰ γὰρ ἔγνωσαν, οὐκ ἂν τὸν κύριον τῆς δόξης ἐσταύρωσαν. I. Cor. 2, 8.

Concordant inter se psalmi 22 et 16 in eo quod ambo dicti sunt e persona Christi, discordant inter se in eo quod in illo loquitur Christus crucifixus, in hoc Christus vita mortali defunctus. Eruitur hoc e versu 9*b* et ss. : *Caro mea habitabit confidenter, quia non cedes animam meam inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem : Experiri me facies viam vitae* », quae verba sunt mortui. Quod etiam eruitur ex expositione partis huius psalmi facta a S. Petro in Act. 2, 24-32, praecipue ex ultimis verbis versus 26[i], versibus 27, 28, 30 et 31, et a S. Paulo in Act. 13, 35-37. *Petit autem hoc in psalmo Christus mortuus resuscitari.* Neque ullo in alio loco resurrectio Christi tam clare praedicitur, testibus SS. Petro et Paulo in locis praecitatis.

Nimis coarctat S. Alphonsus tempus huius orationis Christi, dicens, eum iacentem in sepulchro illam fudisse : quo in casu pro יִשְׁכֹּן versus 9[i], cum ageretur de actu iam incepto, absque dubio praeteritum positum esset, uti eruimus e שָׁכְנָה eiusdem versus et e חָסִיתִי versus primi et ex אָמַרְתִּי versus 2[i]. Insuper convenit haec oratio optime illi momento, quia mox post mortem incipit corruptio corporis, a qua Christus praeservari orat. Tunc preces ad eum fundebat, qui eum salvum facere poterat a morte Hebr. 5, 7. Et quamvis tantum corpus Christi in Cruce pendebat, tamen saepe corpus mortui pro toto homine accipimus. Corpus autem Christi exanime per se efficacissima oratio ad Deum Patrem erat, anima eius sanctissima autem revera orabat. Neque mirum videri debet, quod Christus mortuus orasse dicitur, nam, teste Damasceno : « Etsi Christus mortuus est ut homo, et sancta eius anima ab incontaminato divisa est corpore, divinitas tamen inseparabilis ab utrisque permansit, ab anima dico et corpore ». In Summa Th. S. Th. P. 3. Qu. 50. a. 3.

Finis autem psalmi est, nobis inspirare fiduciam in Deo respectu resurrectionis Christi etiam maximis in necessitatibus. Merito igitur inscribitur מִכְתָּם, aureum χειμήλιον, clynodium. Sic etiam inscribuntur ps. 56-60.

Cum hic ergo psalmus tam praeclarus sit, merito a Patribus magnis effertur laudibus. Sic ex. g. Euseb. Caesareensis de eo scripsit : « Superfluum esset ulterius indagare ad quem referenda sit prophetia, postquam tanti viri (S. Petri) testimonio edocti sumus. Iuxta interpretationem Septuaginta virorum, haec prophetia tituli inscriptio στηλογραφία (accipiebant מִכְתָּם pro נִכְתָּם) dicitur, quod *victoriam a Christo de morte, per resurrectionem ex mortuis partam*, complectatur. Sicut enim athletarum in stadio decertantium splendida atque mirabiliora cum adversariis inita certamina cippo donantur atque in bellis tropaea de hostibus ad diuturnam memoriam eriguntur : ita *magnum illud Servatoris tropaeum*, prostrato eo qui imperium mortis habebat, erectum, iam diu a propheticis temporibus in eorum scriptis velut in cippo insculptum fuerat : quare tituli sive cippi inscriptio dicitur ». M. S. gr. 23, 154. Et Euthymius Zigabenus : « In rebus itaque a se praeclare gestis *Salvator statuam vel columnam hanc per linguam beati David sibi erexit : sancto nimirum Spiritu prophetam inspirante et labia eius aperiente* ». Ibid. 128, 194. — In sequentibus exhibebimus :

I. locos, in quibus discrepant inter se textus latinus Vulgatae et textus hebraicus [1] ;

II. explicationem continuam totius psalmi.

I

V. 1. Iam diximus מִכְתָּם non esse נִכְתָּם, secundum quod Vulgata habet : Tituli inscriptio ad exemplum LXX στηλργραφία vel εἰς στηλογραφίαν. Etiam Targum habet גְּלִיפָא תְּרִיצָא sculptura recta. Iam meminimus interpretationis מִכְתָּם apud Eusebium et Euthymium. Alii id intelligunt de titulo crucis. Sic ex. g. s. Augustinus scribens : « Rex noster in hoc psalmo loquitur ex persona susceptionis humanae, de quo titulus regalis tempore passionis inscriptus eminuit ». Quod fusius explicat s. Haymo apud Migne S. l. 116, 237.

V. 2. טוֹבָתִי בַל־עָלֶיךָ certe non significat : Quoniam bonorum meorum non eges, sed : Bonum meum non super te id est extra te. Precans ergo dicit, se nullum bonum habere extra Deum. Quocum

1. Commendo vobis ex Ubaldi introductione in s. Scripturam volum. 3° pag. 156-165 thesin : « Studium linguarum et textuum originalium s. scripturae omnibus quidem sacrarum scientiarum cultoribus utile est, iis vero qui scripturas profundius intelligere et adversus impugnantes vindicare satagunt, sub aliquo respectu etiam necessarium ».

fere congruit s. Hieron. versio : Bene mihi non est sine te, et Symmachi : ἀγαθόν μοι οὐκ ἔστιν ἄνευ σου (M. S. gr. 23, 156). Attamen sensus veritatis hebraicae profundior et pulchrior est. Cfr. Apoc. 2, 24-25. Praepositio עַל saepe introducit id quod aliquid excedit Gen. 48, 22 et ad id accedit Gen. 31, 50 Deut. 19, 9 sive ut superius sive ut par. Precans ergo hic dicit ad Deum : Id quod est pro me bonum, non est supra te quasi ad te accedens sive ut tibi superius, sive tibi par, vel denique aliquid extra te, sed tu solus et unicus. « Tu solus sanctus, tu solus Dominus, tu solus Altissimus ». Versio quidem Vulgatae literalis dici potest excepto quod quoniam non adest in hebraeo, sed accepit טוֹבָתִי pro plurali et aliquo ad Deum accedente, et עָלֶיךָ pro expressione indigentiae. — Quod porro attinet primam vocem versus, scil. אָמַרְתָּ, sine dubio mutanda est in אָמַרְתִּי, ut patet ex Vulgata, LXX et Peschito. Insuper in libris manu scriptis atque editis haud paucis, a de Rossi enumeratis, reperitur אָמַרְתִּי. Denique contextus aliam lectionem non admittit.

V. 3. Etiam in hoc versu facienda est parva mutatio in textu transferendo וְ ante אַדִּירֵי ubi sensum disturbat, ante לִקְדוֹשִׁים, ubi optime versum tertium cum secundo coniungit. Insuper pro אַדִּירֵי legatur אַדִּירָי utpote melius respondens אֲדֹנָי in versu 2°. Pro versione ergo versus tertii in Vulgata ponatur sequens vel similis : Et sanctis qui in terra sunt (suppleatur : dico) : Hi sunt magnifici mei, omnis voluntas mea in eis, id est, eis unice delector, omnis mea voluptas in eis est. Sic versus hic exprimit relationem Salvatoris ad sanctos in terra, postquam praecedens relationem eius ad Deum expresserat. Versio Vulgatae, ad exemplum LXX facta, obscurissima est.

V. 4. Hic versus sic vertatur : Illi qui multiplicantes poenas suas, idolum permutarunt, non libabo libamina eorum ex sanguine, et non sumam nomina eorum super labia mea. — Duae primae sententiae huius versus sunt nominativus absolutus, et non quidem grammatice, attamen logice relativae, ad quas posteriora suffixa referuntur. Etiam verti possunt : Quod illos attinet qui multiplicant sibi poenas ob idolum quod reiecto vero Deo sibi finxerunt, ego non libabo etc. Interpretes Vulgatae accipientes יִרְבּוּ sensu passivo verterunt multiplicatae sunt, sed accipiendum est sensu activo, prout sequitur ex sequenti accusativo et ex comparatione cum מָהֲרוּ. Pro infirmitates Vulgatae habetur in hebraico עַצְבוֹת (cum Dagesch pielico a עַצֶבֶת), poenae, dolores, tormenta. Vulgata ipsa vertit hoc vocabulum 147, 3 contritiones, Iob. 9, 28 opera, Prov. autem 10, 10 dolorem.

אַחֵר omne illud est quod homo praeter verum Deum sibi Deum facit, ergo idolum (s. Hier. idola) ; sensus ergo eius universalior est quam אֱלֹהִים אֲחֵרִים, et de industria positum est אַחֵר, quia crassa idololatria in nullo psalmo memoratur. Quia autem numeri singularis est, suffixa pluralia sequentia ad illud se referre non possunt. Quoad eius sensum cfr. Isai. 42, 8. 48, 11. Qui confecerunt Vulgatam legerunt אַחַר et propterea postea verterunt. — מָהֲרוּ autem non derivatur a מָהַר vel מוּהַר festinare (accelerare?) cfr. Nah. 2, 6., sed a מָהַר (pro quo Ier. 2, 11 habet הֶחֱמִיר) commutare, permutare, forsitan cum sensu secundario captandae sibi benevolentiae modo eorum qui quaerunt sibi uxorem, nam מָהַר verbum est quod significat uxorem sibi acquirere solvendo eius patri pretium petitum Exod. 22, 15. — אַסִּיךְ fut. hiphil a נָסַךְ non est congregabo, ut habet Vulgata, sed libabo, nam verbum נָסַךְ est sacrificiale notatque effusionem libaminis in honorem vel veri Dei (ut Num. 15, 5. II Sam. 23, 16. IV. Reg. 16, 13 et alibi), vel falsi (ut Ier. 7, 18. 19, 13. 32, 29 etc.). Item נִסְכֵּיהֶם non est conventicula, sed libamina eorum, ut patet. — וּבַל־אֶשָּׂא non est : nec memor ero, sed : et non sumam. — עַל non est : per, sed : super.

V. 5. אַתָּה תּוֹמִיךְ גּוֹרָלִי non est : tu es qui restitues haereditatem meam mihi ; sed : tu es conservator sortis meae. תּוֹמִיךְ est forma participalis, uti ex. gr. etiam פָּרִיט profugus, סָבִיב IV. Reg. 8, 21., a verbo תָּמַךְ = סָמַךְ firmare, fulcire, cfr. 17, 5. 63, 9. — גּוֹרָל proprie lapillus per metonymiam est sors, quae lapillis olim ducebatur Lev. 16, 8. Num. 33, 54. Designat etiam rem per sortem obtingentem Iud. 1, 3. Ps. 125, 3 Prov. 1, 14.

V. 6. נְעִימִים pluralis significat : gaudia, loca amoenissima : potius vertendum esset : in locis amoenissimis, quam : in praeclaris. Quod hic de Deo dictum est, qui amoenissima habitatio precantis est, et qui ipse in precante habitat. Quae sequuntur vertantur : etiam possessio vel haereditas praeclara vel splendida facta est mihi. אַף est exclamatio : quin etiam. נַחֲלַת pro נַחֲלָת nonnullis videtur aequivalere נַחֲלָתִי, secundum quod Vulgata habet : haereditas mea, aliis statui emphatico in chaldaeo = haec haereditas. De hac haereditate precans dicit שָׁפְרָה עָלָי, quod valet de pulchritudine in ea reflexa.

V. 7. יָעָצָנִי non est : tribuit mihi intellectum, sed : consilium dat mihi (cfr. Exod. 18, 19), nam valet de omni tempore. — אַף־לֵילוֹת

non est : insuper et usque ad noctem, sed : etiam noctibus. — יִסְּרוּנִי non est increpuerunt me, sed : excitant, admonent, exhortantur me vel aliquid simile, cum hic יִסַּר adhibitum sit de positiva ethica admonitione, sicut Isai. 8, 11 de negativa. Renes precantis, qui ut sedes beati sensus possessionis Iehovae supponuntur, eum cohortantur, ut Deo tanti amoris digno ex intimo corde gratias agat. Ps. 118 (117), 18 significat יָסֹר יִסְּרַנִּי castigare.

V. 8. שִׁוִּיתִי non est providebam, sed : apto et aequo = posui vel pono, scil. Dominum coram me. בַּל est non, non ne.

V. 9. Verba שָׂמַח et וַיָּגֶל pro nobis sunt praesentia, describentia quod factum est, fit et fiet. כְּבוֹדִי est gloria, non lingua mea, לָבֶטַח secure, confidenter, sicut 4, 9. שָׁכַן habitare.

V. 11. תּוֹדִיעֵנִי vertatur : experiri me facies, nam תּוֹדִיעַ significat notitiam alicui communicare, quae non tantum eius intellectum, sed totam existentiam afficit. אֹרַח via, semita. שְׂבַע satietas. Vulgata pro eo habet adimplebis.

II

Supponere possumus, Christum orationem huius psalmi fudisse ad Deum statim cum expirasset, in qua 1° amat, 2° abhorret, 3° benedicit, 4° sperat.

Dicit ergo Christus primo, se amare Deum et bonos in terra, verbis :

V. 1. Conserva me, Deus (El), quia speró in te.
V. 2. Dico Iehovae : Dominus meus (Adonai) es [1] tu,
Bonum meum non est [1] super te.
V. 3. Et Sanctis qui in terra sunt (dico) :
Isti sunt magnifici mei, omnis voluntas mea fertur [1] in eos.

Accuratius inspiciamus singula. In

Versu 1° verbis : conserva me, petit Christus Deum, ut conservet corpus suum, non permittendo ut corrumpatur putredine, et illud resuscitando. De qua petitione bene Eusebius Caesar. adnotavit : « Eadem prorsus ratione (sicut in Evangelio) in hoc quoque psalmo conservari se postulat, dum tamen a se ipso conservatur. At enim

1. Intelligentiae causa positum.

ut homo rogat, ac utpote Deus postulata concedit, assentiente scilicet et cooperante Patre ». M. S. gr. 23, 155. Item optime dicit s. Thomas : « Si in Christo esset tantum voluntas divina, nullo modo competeret ei orare, sed secundum quod est (Christus) homo et humanam voluntatem habens, competit ei orare ». S. Th. 3. Qu. 21 ad. 1. Qua in oratione convenientissime vocat Christus Deum אל Omnipotentem, quia eius est resuscitare mortuum. Confirmat orationem suam dicendo, sese totum in ipsum recepisse nec habere aliquod aliud adiutorium. « Quo facilius eius rei sequeretur effectus, sperasse se dicit semper in Domino ». Cassiodor. M. S. l. 70, 112. — Affert orans

Versu secundo duo argumenta fiduciae suae in Deo, asserens, 1° eum esse Dominum suum ; 2° se nullum bonum nosse supra eum vel extra eum, quo coniunctio eius intima cum Deo exprimitur.

Ad verbum Dixi bene adnotavit Cassiodorus : « Dixit, non labiis, sed cordis affectu ; unde sancta conscientia loquebatur, Deus meus es tu, a forma servi Filius dicit ad Patrem, ut duas naturas in una persona Domini Salvatoris evidenter agnosceres » etc. Ibid. Triplici autem sub respectu nomen Dei אֲדֹנָי [1] hic attentionem meretur : 1° quia designat omnipotentem gubernatorem rerum. De rebus autem Christum respicientibus bene dicit s. Thomas : « Omnia, quae circa humanitatem Christi acta sunt, divina dispositione gesta creduntur ». S. Th. P. 3. Qu. 12 ad. 1. Consulantur etiam ibid. Qu. 18 et Qu. 19. 2° Quia Adonai ut numeri pluralis innuit Trinitatem. 3° Quia pronomen possessivum hic retinet vim, quam alias in hoc nomine omittit. — Dicit secundo Christus, se nullum bonum habere supra et extra Deum (de quo recolas superius dicta). Iuvat hic meminisse verba Domini, dicentis ad Patrem suum coelestem : « Mea omnia tua sunt, et tua mea sunt » (Ioh. 17, 10), et verba s. Thomae : « Operatio quae est humanae naturae in Christo, inquantum est instrumentum Divinitatis, non est alia ab operatione divinitatis ». S. Th. P. 3 Q. 19. ad 1. De qua re consulatur tota illa quaestio. — Possunt haec verba aptissime vitae christianae applicari, quae respondere debet fidei catholicae. De qua re meminisse iuvat verba Concilii Vaticani in Constit. de Fide cathol. cap. IV : « Is sensus sacrorum dogmatum perpetuus est retinendus, quem semel declaravit sancta Mater Ecclesia, nec unquam ab eo sensu altioris intelligentiae specie et nomine recedendum. » Consulantur

1. Respondet graeco δεσπότης, de quo consulatur Apocalypsis nostra pag. 325.

etiam Leonis XIII literae de sic dicto Americanismo [1]. — Descripta relatione sua ad Deum, describit Christus in

Versu tertio relationem suam ad sanctos, qui in hac terra degunt. De quo versu videsis superius dicta. Certo Deus nulla re tanto delectatur quanto sanctificatione hominum. In hunc enim finem condidit vetus testamentum, in hunc finem misit Unigenitum suum in mundum, in hunc finem conservat Ecclesiam suam usque ad finem seculorum. Quod autem amat Deus, idem amat et Christus. Patet ergo sensus huius versus. Bene autem vocantur sancti magnifici, quia ab eis et per eos Deus magnificatur, et ipsi per Deum magnificantur. Imo quid est aliud historia veteris Testamenti et Ecclesiae quam glorificatio Dei per sanctos et glorificatio Sanctorum per Deum? Bene ergo exclamat Ecclesia : « Mirabilis Deus in sanctis suis ». Bene dixit Eusebius Caesareen. : « Sane Deus mirabilia facit in Sanctis suis » (M. S. gr. 23, 155), et s. Bruno Astens. : « Mirificavit Dominus, multumque mirabiles fecit voluntates suas in omnibus sanctis » (M. S. gr. l. 164, 740). Et dicamus cum Ecclesia : Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam. Ad dictum explicandum praecipue faciunt Gen. 18, 16-33. Eccli. 44, 16-50. I Macc. 2, 49-64. Actus Apostolor. Hebr. 10, 19-39. 11, 1-40. Apoc. 7, 1-8. 10, 1-11, 13. Libri Dialogorum s. Gregorii Papae, Montalembert in : Les Moines d'Occident, chap. : Les Moines et la nature v. 2. Denique vitae Sanctorum. Quae illustrantur et confirmantur verbis Moysis in Deuteron. 26, 18-19 : « Iehova fecit te dicere hodie, te esse ei populum peculiarem (סְגֻלָּה res peculiaris et singulariter chara), et observare omnia praecepta sua. Et eum te dare (facere) excelsiorem omnibus gentibus quas creavit, in laudem et nomen et gloriam, et ut sis populus sanctus Iehovae Deo tuo ». Quod longius describitur ibid. 27, 1-14. וְהָיִיתָ רַק לְמַעְלָה וְלֹא תִהְיֶה לְמַטָּה Idib. 28, 13 [2]. — Exhibito amore Christi, dicit psalmista secundo, quidnam Christus abhorreat verbis :

V. 4. Illi qui multiplicando poenas suas, idolum permutarunt,
Non libabo libamina eorum ex sanguine
Et non sumam nomina eorum super labia mea.

1. Imitemur Salvatorem amando Deum super omnia. Recordemur dictum S. Augustini : « O Deus, fecisti nos ad te, et irrequietum est cor nostrum, donec requiescat in te » ; item dictum S. Theresiae. Solo Dios basta. Legatur in Imitatione Christi libri tertii caput nonum : Quod omnia ad Deum sicut ad finem ultimum sunt referenda.

2. Et eris semper (tantum) supra et non eris subter : Und du wirst nur zum Hinauf u. nicht zum Hinab sein.

V. 5. Iehova pars haereditatis meae et calicis mei,
Tu conservator sortis meae.

Dicit ergo Christus

Versu 4°, se abominari eos, qui multiplicantes poenas pro bona conscientia sibi idolum commutarunt (cfr. I Ioan. 5, 21), Pilatus scilicet gratiam Iudaeorum, et principes Iudaeorum, pertinaciam et honorem hominum. Sic interficientes Christum patrarunt maximum scelus, sed Deus accepit sacrificium Christi pro pretio redemptionis generis humani. Christus ergo iniustitiae sanguinariae Pilati et Iudaeorum minime particeps esse intendit, imo abhorret eorum scelus, quamvis libentissime vitam ponat perfecturus voluntatem Dei de salute hominum. « Baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor usque dum perficiatur »! Luc. 12, 50. « Ἦσαν δὲ ἐν τῇ ὁδῷ ἀναβαίνοντες εἰς Ἰεροσόλυμα, καὶ ἦν προάγων αὐτοὺς ὁ Ἰησοῦς, καὶ ἐθαμβοῦντο, οἱ δὲ ἀκολουθοῦντες ἐφοβοῦντο. » Marc. 10, 32. Quot mala cumulaverunt sibi interfectores Christi! Recolantur praedictio Christi de interitu Ierusalem et historia interitus eiusdem civitatis et reipublicae Iudaeorum, et reprobatio Iudaeorum, de qua agit secunda pars Cantici Canticorum (a c. 5, 2 ad 8, 14., ut videre est in commentario nostro in s. Canticum). Conferantur etiam Apoc. 1, 7 in commentario nostro in Apocalypsin. « Iudaei peccaverunt non solum tanquam hominis Christi, sed etiam tanquam Dei crucifixores ». S. Thomas in S. Th. P. 3. Qu. 47 ad 5. Consulatur tota Quaestio 47. Item in Breviario lectiones secundi Nocturni pro Hebdomadae sanctae feriis quinta et sexta et Sabbato sancto.

Sed quamvis Iudaei fecerint quidquid poterant ad extirpandum Christum eiusque memoriam, tamen nihil profecerunt, sed econtra inimicitia eorum versa est in gloriam Christi et salutem hominum, ut dicitur

Versu quinto verbis : Dominus pars haereditatis meae et calicis mei. Christus dicit, humanitatem suam ita radicatam esse in Deo, ut ab eo divelli nullo modo possit. Forma constructi מְנָת praeter II Paralip. 31, 4 tantum in psalmis obvenit. מְנָת חֵלֶק est pars fundorum quae alicui Israëlitae obtingebat, et מְנָת כּוֹס pars calicis secundum dispensationem patris familias. Tribus Levi in divisione terrae sanctae nullam partem accepit, Iehova enim erat eius חֵלֶק Num. 18, 20., et dona Iehovae oblata eius cibus Deut. 10, 9. 18, 1. 2. At quamvis tribus Levi sic distincta esset, nihilominus totum Israël erat βασίλειον ἱεράτευμα Exod. 19, 6., ad quod iam קְדוֹשִׁים

et אַדִּירִים v. 3 alluserunt. Sub hoc respectu quae de tribu Levi dicta sunt, de omni Israël valebant, et de omni Christiano valent et de tota Ecclesia I Petri 2, 9 Apoc. 1, 6., sed sensu multo eminentiore de Christo propter unionem hypostaticam, de qua s. Thomas : « Unitas, inquit, divinae personae est maior unitas quam unitas et personae et naturae in nobis, et ideo unio incarnationis est maior quam unio animae et corporis in nobis ». S. T. 3 Qu. 2 ad 9. Propterea Deus Christi corpus resuscitabit et in statum sublimiorem elevabit.

Praeter unionem hypostaticam sunt etiam sors Christi omnes gentes et fines terrae, quae Pater ei tradidit, ut dicitur ps. 2., ad quae tuenda etiam Pater Filium adiuvat 110, 5.

Ob tam praeclaram haereditatem Christus Deo maximas agens gratias, eum benedicit sequentibus :

V. 6. Funes ceciderunt mihi in locis amoenissimis,
Quin etiam haereditas mea haec praeclara est [1] mihi.
V. 7. Benedicam Iehovam qui dat mihi consilium.
Etiam noctibus exhortantur me renes mei.
V. 8. Pono Iehovam coram me semper.
Nam si [1] est [1] ad dexteram meam, non moveor.
Accuratius trutinemus singula.

V. 6. Funes mensurae חֲבָלִים iaciuntur Mich. 2. 5 et cadunt alicui ibi, ubi et tam longe ut ei fundus designatur, ita ut נָפַל חֶבֶל Ios. 17, 5 etiam de obtingente fundi parte dicatur. Sors Christi sunt, ut iam diximus, unio hypostatica et orbis terrarum. De prima dicit s. Augustinus : « Invisibilis et incommutabilis veritas per spiritum animam, et per animam corpus accepit.» In Summa Theol. s. Th. P. 3. Qu. 4 ad. 2. — Qui hoc magno mysterio cupit instrui, adeat Summam Theologiae s. Thomae. Circa hoc magnum mysterium versabantur definitiones sex primorum conciliorum œcumenicorum. Est hoc mysterium fundamentum nostrae salutis. Et propterea convenientissime Christus simul et pro unione hypostatica et pro conversione orbis terrarum Deum benedicit. Notetur exclamatio ex intimo eius sacratissimo corde proveniens : Quin etiam haereditas mea haec praeclara est mihi, in qua voce עָלַי se indesinenter in hanc praeclaram haereditatem speculari dicit. Continuans idem argumentum, dicit Christus

Versu 7° se benedicere Deum, qui dedit sibi consilium redimendi

1. Intelligentiae causa positum.

genus humanum, quo comprehendit omnia quae intuitu operis redemptionis fecit et faciet ad sanctificandam tum synagogam, tum Ecclesiam, tum singulos homines. Quae tot et tanta sunt, ut merito cum s. Alphonso exclamare possimus : « O excedens mensura amoris Dei, quam neque omnes angeli neque omnes homines unquam perfecte cognoscent neque exaltabunt ». Videas Commentar. n. in Apoc. p. 113. Bene etiam ad hunc locum adnotavit s. Hilarius : « Nihil enim scit Filius, nisi quae vidit et audivit a Patre. Itaque benedicit eum, qui intelligere se fecit. Et vere hic intellectus non ex homine, sed ex Deo est ». Migne S. l. 9, 895. Dicamus cum amantissimo corde Salvatoris : Fiat voluntas tua ! — Hoc consilio Dei de salute hominum tantum delectatur Christus, ut reconditissima receptacula cordis eius (renes eius) eum continuo, die ac nocte, et etiam in nocte passionis et mortis, ad benedicendum Deum excitent. Nam, ut dicit

Versu 8°, cum Deum semper habeat ad dexteram, ad se defendendum, ut 110, 5, cfr. 121, 5 et 109, 31., non movetur neque diffidentia in Deum neque odio in homines, quamvis eum occidissent, sed continuat indesinenter desiderare adimpletionem perfectissimam sanctissimae voluntatis divinae. « Christus.... secundum voluntatem quae est per medium rationis, semper idem volebat quod Deus. » S. Thomas in S. T. P. 3. Qu. 18. ad 5. « Cum me ad impatientiam.... provocaverunt, Dominus erat ministrans mihi vires, ne ullo modo commoverer a constantia et patientia perficiendae obedientiae. » Inter scripta s. Bedae apud Migne S. l. 93, 215. Quod etiam valet de Christo post eius mortem usque ad resurrectionem. « Veniens in ea quae transeunt, non abstuli oculum ab eo qui semper manet, ut in eum per temporalia peracta recurrerem, qui mihi semper a dextris est, ut stabiliter in eo permaneam ». Walafrd. 114, 781. « Non est commotus, id est, iratus, ut in aliis fieri solet, Salvator noster in illa sua tam dura passione ». S. Bruno Astens. 164, 741. Optime huc facit ps. 129 (128), 1-5., non autem versus sequentes optative, bene autem historice accepti. Imo, ut pergit idem Christus hic dicere

Quarto, sperat, etiam in morte, ut patet e sequentibus :

V. 9. Propterea laetatur cor meum et exultat gloria mea,
Imo caro mea habitabit confidenter.
V. 10. Nam non cedes animam meam inferno,
Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.

V. 11. Experiri me facies viam vitae,
Satietatem gaudiorum cum vultu tuo :
Delectationes in dextera tua in aeternum.

Cum sanctus Petrus in Act. 2, 25-31 adducat hunc psalmum a versu 8° ad finem ad probandam Christi resurrectionem, merito Theodoretus Cyrensis scripsit : « Haec supervacuum est nos explanare, cum divus Petrus horum interpretationem dixerit, accepta a Patre et Filio et Spiritu Sancto revelatione. » Migne S. gr. 80, 962-963. Nihilominus inspiciamus accuratius singula.

V. 9. לָכֵן propterea, id est, ob consilium Dei de salute generis humani, laetatur cor Christi et exultat gloria, id est, anima eius (ut 7, 6), et caro, id est, corpus eius, habitabit secura a corruptione in sepulchro. Ad quod optime adnotavit Origenes : « Dominus Iesus Christus haec dicit ». Migne S. gr. 12, 1215. Pulchre etiam dicit s. Ioannes Chrysostomus : « Viventibus aliis hominibus, his scilicet qui egerunt strenue, arrident propria gesta : his autem pereuntibus, pereunt. Sed in Christo est totum contrarium : nam ante crucem omnia sunt moesta et infirma ; ut autem crucifixus est, omnia clariora sunt facta, ut noscas non purum hominem crucifixum ». In Summa Th. s. Thomae P. 3. Qu. 15 ad 3. — Pergit Christus loqui

Versu 10° de dormitione sua in sepulchro dicens, Patrem non cessurum animam suam inferno, nec daturum, ut Sanctus ipsius videat, id est, experiatur corruptionem. « Ad Christum refert hoc Petrus in Actibus Apostolorum ». Origenes, M. S. gr. 12, 1215. « Christi autem caro sola non vidit corruptionem, nec detineri potuit in inferno ». S. Hilarius M. s. l. 9, 89. שַׁחַת quidem 7, 16 et ordinarie designat foveam, cum a שׁוּחַ inclinatum esse veniat, sed etiam derivari potest a שׁחת διαφθείρειν et tunc significare διαφθορά, sicut Iob. 17, 14 et hic, ut testantur Petrus Act. 2, 31 et Paulus Act. 13, 35. Nec accusari possunt hi duo apostoli, eos adaptasse hanc versionem resurrectioni Christi, cum iam diu antea extaret in versione LXX interpretum. Propterea et R. Abraham, qui citatur a Genebrardo, et Hebraei doctiores שחת hic corruptionem interpretantur, ut ait R. Isaac apud eundem Genebrardum : « Non dominabitur in eum post mortem scolex aut vermis, scilicet in Sanctum tuum, Deus, nam חֲסִידֶיךָ cum Iod superfluo ut dicitur in nota marginali aequat חֲסִידְךָ et est singularis ».

Imo Deus Sanctum suum non tantum praeservabit a consequentiis mortis, sed etiam, ut dicit

Versus 11^us^ illum experiri faciet semitam vitae, id est, illum excitabit ad novam vitam. Propterea canit Ecclesia :

Ille qui clausus lapide,
Custoditur sub milite,
Triumphans pompa nobili,
Victor surgit de funere.

Insuper Deus Sanctum suum ad novam vitam resuscitatum etiam experiri faciet satietatem gaudiorum אֵת, id est, in unione (21, 7. 140, 14) cum vultu suo, et amoena (cfr. v. 6), quae tenet in dextera sua, in sempiterna saecula. Quae adimpleta sunt glorificatione Christi et eius ascensione in coelum et in secula seculorum adimplentur gloria eius in coelo. Cfr. Philipp. 2, 8-11. Marc. 16, 19. Cantic. 8, 14. Daniel 7, 13-14. Apoc. 1, 18. 5. « At vero postea quam resurrexit et ascendit in coelum, perveniens ad dexteram, ad palmam justitiae, ad gloriam et nobilitatem, impletur laetitia cum vultu Dei, et habet delectationes in dextris eius ». St. Hilar. M. 9. 897. De glorificatione Christi agit s. Thomas in Summa Th. P. 3 a Qu. 53 ad. 58.

VIII. PS. 17 (16). ORATIO CHRISTI IACENTIS IN SEPULCHRO.

Πάντες οἱ προφῆται καὶ ὁ νόμος ἕως Ἰωάννου ἐπροφήτευσαν.
Matth. 11, 13.

Nulla quidem afferri possunt argumenta e Novo Testamento ad probandum, psalmos decimum septimum et centesimum octavum esse Orationes Christi sicut eos quos usque nunc tractavimus. Sed cum omnino multo melius conveniant alteri Davidi quam primo, eos eidem accensendos esse duximus.

Psalmi 17, 86, 90, 102 et 142 habent in fronte תְּפִלָּה (oratio), quod item invenitur in capite cantici Habacuc. Hoc ad musicam canebatur, quod de psalmis praedictis definiri non potest. Item non constat, cur tantum praedicti psalmi Tephillah nuncupentur, cum certe omnes psalmi sint orationes. Quod S. Thomas adnotavit ad hunc psalmum : « Est primus Psalmus qui intitulatur ab oratione..., quia inter tribulationes singulare refugium est oratio », valet de oratione, sed non solvit difficultatem.

Hanc תְּפִלָּה לְדָוִד in hac serie psalmorum, a tertio scilicet usque ad praesentem, pro ultimo e tempore persecutionis absalomicae habemus, quia ei convenit et quia inscriptionem psalmi tertii usque huc influere censemus. Est psalmus maxime concitatus multisque et magnis obvolutus obscuritatibus. Constat sex strophis. Argumentum iam indicavimus. Nobiscum consentiens, scripsit S. Cyrillus Alex. : « Ipsi vero Christo convenientissimum prae caeteris est, secundum humanitatem suam dicere Deo Patri : « Exaudi iustitiam meam », ipse enim peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius » (I Petr. 2, 22) [1]. Ut dicit D. Calmet, etiam SS. Hieronymus et Augustinus hunc psalmum Christo attribuunt. Cassiodorus fusius hanc rem tractans, scripsit : « Trifaria oratio ab humanitate Christi in hoc psalmo exprimitur. Prima est, ubi secundum iustitiam suam sibi petit debere restitui. Secunda, ut a Iudaeorum insidiis eius puritas liberetur. In tertia, *resurrectionem velocissimam deprecatur*, ne diutius insultare liceat perverso populo Iudaeorum. Et ne aliquid de eius maiestate turba fidelium haberet ambiguum, profite-

1. Migne S. gr. 69, 814-815.

tur se in aeterna beatitudine esse mansurum ». M. S. l. 70, 117. S. Bruno Carthusianus autem habet : « *Oratio ipsius David i. e. Christi :* revera David ». Quo facto pergimus ad ponendos locos discrepantes.

I

Quantum intersit, textum hebraicum psalmorum intelligere, ad quod conducunt loci discrepantes, patet e sequentibus. Oratio quidem est loquela cordis ad Deum. Et propterea etiam si quis blasphemias proferret, putans orare, bene ageret. Quapropter et is qui nihil intelligens linguae latinae, devote psalmos recitat vel cantat, merita acquirit apud Deum, vix autem ille, qui psallens argutiis verborum occupatur. Aliud autem est in psallendo argutiis occupari, aliud ad sensum verborum attendere. Generatim loquendo autem certo melius est, si intelligit Orans quid dicit quam si non intelligit. Et cum formula precatoria communiter debet devotionem excitare, sustinere et elevare, interest, bonas formulas precatorias eligere, praecipue inspiratas, uti psalmos, et quidem in lingua qua inspirati fuerunt, vel in bona versione latina, quia lingua latina est lingua Ecclesiae. Tantum sic fieri potest quod poscit S. P. N. Benedictus dicens : Sic stemus ad psallendum, ut mens nostra concordet voci nostrae. — Sunt autem in hoc psalmo sequentes loci discrepantes :

V. 1°. שִׁמְעָה imp. parag. a שָׁמַע potius est audi quam exaudi. — Deest in hebraeo pronomem meam post iustitiam. — רִנָּתִי potius est clamorem meum vel vociferationem meam, quam deprecationem meam. — In Vulgata ante labiis melius omitteretur in, quia labiis dolosis vel doli est ablativus instrumenti.

V. 2°. מִלְּפָנֶיךָ proprie a coram vultu, pro quo Vulgata bene habet de vultu tuo, i. e. abs te, in tribunali, ut ita dicam, sedente causamque meam cognoscente. — תֶּחֱזֶינָה fut. K. a חָזָה potius est perspicere, quam simpliciter videre, quod non est omnium iudicum. — מֵישָׁרִים pluralis tantum melius vertitur rectitudines quam aequitates.

V. 3°. Probatio Dei, quam psalmista expertus est, exprimitur hic duobus verbis בָּחַן et צָרַף quae de probatione auri in igne usurpantur, et verbo פָּקַד, quod de recensione, inspectione, generatim adhibetur. Quae tria praeterita sequitur futurum בַּל־תִּמְצָא, quod

respectu dictorum praeteritorum futurum, pro nobis autem vel perfectum vel praesens est hoc sensu : Tu animum meum prorsus exploratum habes, occultos cordis mei recessus excussisti, sed nihil invenisti quod punitione dignum esset. — זַמֹּתִי est verbum, inf. K. cum suffixo pro prima persona praeteriti verbi זָמַם constituere, proponere, cogitare Deut. 19, 19. Thren. 2, 17. Quid statuerit, sequitur. Alexandrinus autem interpres, quem sequitur Vulgata, pro זַמֹּתִי legit זְכִיתִי iniquitas mea, quod et coniunxit cum בַּל־תִּמְצָא, atque verba ultima : בַּל־יַעֲבָר־פִּי ad comma quod proxime sequitur, traxit. Insuper legisse videtur Niphal תִּמָּצֵא pro Kal.

V. 4°. Vulgata omittit לְ in vocabulo לִפְעֻלוֹת = quoad opera. — בְּ in verbo בִּדְבַר non significat hic propter, sed contra. Item דְּבַר non significat verba, sed est inf. constructus. — שָׁמַרְתִּי hic non est custodivi, sed cavi. — פָּרִיץ denique non est duras, sed subst. m. effractor, violentus, latro, qui leges ac iura praefracta audacia perrumpit.

V. 5°. תָּכֹךְ inf. absolut. pro verbo finito non est : perfice, sed perseveraverunt. Interpres pro hac forma legit quamdam formam verbi הָכִים. — בְּמַעְגְּלוֹתֶיךָ proprie non est in semitis tuis, sed in orbitis tuis : a מַעְגָּל orbita, plaustro (עֲגָלָה) facta, impressum rotae vestigium, hinc via orbitosa, semita. — בַּל = non, non : ut non. — נָמוֹטוּ Niph. a מוּט dimotus fuit vertatur hic vacillaverunt. — פְּעָמָי est hic passus mei, non vestigia mea.

V. 6°. אֲנִי hic accentum habens = ego talis qualem me inveni in praecedente. — תַּעֲנֵנִי certe est futur., non perfect. — Pro et ante exaudi nihil adest in hebraeo. — אִמְרָתִי potius est orationem meam quam verba mea.

V. 7°. Imperativ. hi. הַפְלֵה a פָּלָה mirum esse hic cum sequente coniunctum vertatur : exerce mirabiles vel mirabiliter gratias tuas. — חַסְדֶּיךָ magis ad litteram vertitur gratias tuas quam misericordias tuas. — מוֹשִׁיעַ est particip. salvans, pro quo Vulg. habet : qui salvos facis. — חוֹסִים absolute usurpatum est ut חָסָה Prov. 14, 32 et καταφυγόντες Hebr. 6, 18. Vulgata postea intercalavit : in te. — Quod sequitur מִמִּתְקוֹמְמִים hithpaël a קוּם exurgere in aliquem cum praecedente coniungatur. Deleatur ergo in Vulgata punctum ante a. Item בִּימִינֶךָ non est : dexterae tuae, sed ablativus instrumenti : dextera tua.

V. 8°. Pro duabus designationibus pupillae אִישׁוֹן homunculus et

בַּת־עַיִן filia oculi Vulgata tantum habet pupillam oculi. Pupilla vocatur אִישׁוֹן homunculus quia parvam imaginem hominis reddit; qua de causa et Graeci appellant pupillam ἄνδριον, ἀνδρίσκον. Alterum nomen pupillae est בַּת־עַיִן filia oculi eo quod imago quam oculus reflectit est quodammodo eius filia. Quocum etiam congruit latinum pupilla (pupula) et graecum κόρη, cfr. Thren. 2, 18. Zach. 2, 12. Duplici nomine pupilla ponitur ut imago magis et clarius pateat. — תַּסְתִּירֵנִי magis adhuc ad litteram quam protege me vertitur abscondes vel abscondas me. Postea ponenda esset virgula in Vulgata.

V. 9°. Verbum שָׁדַד significat subigere, alicuius vitam, existentiam, possessionem destruere, est ergo fortius quam affligere, et praesentis sensum hic habet, cum Orans auxilium contra pericula petat. Post afflixerunt punctum in Vulgata commutandum esset cum virgula, nam quae sequuntur sunt oppositiones praecedentis, vertendaque sunt: ab osoribus meis (Vulg. pro eo habet inimici mei) qui cum aviditate (tollendi vitam meam) me circumdant. נֶפֶשׁ etiam 27, 12. 41, 3 aviditatem (non animam) designat. יָקְפוּ עָלַי proprie circulum circum me faciunt, ut me capiant et deglutiant.

V. 10. Cor inimicorum Orantis vocatur hic חֵלֶב adeps i. e. sensu carens, quia misericordiam aliosque nobiles sensus non admittunt, cfr. 119, 70. Concludere viscera, κλείειν σπλάγχνα I Ioan. 3, 17, aequat se indurare ob carentiam commiserationis, benignitatis, liberalitatis, generositatis etc. Cfr. הֶשְׁבִּין לֵב animum offirmare Ios. 6, 10. Verba סָגְרוּ et דִּבְּרוּ designant perfecta quae in praesens se extendunt. פִּיכֹּו non est subiectum, ut vult Vulgata, sed Nominativus absolutus, pro nobis ablativus instrumenti, ut patet e דִּבְּרוּ Insuper omisit Vulgata בְּ ante גֵּאוּת.

V. 11. אַשֻּׁרֵנוּ certe non est: proiicientes me, ut habet Vulgata, sed est nominativus absolutus et verti potest: gressus nostros quod attinet. Dagesch in אַשֻּׁרֵנוּ videtur esse compensatio pro אֲשׁוּרֵנוּ. Sanctus Hier. habet: Incedentes, qui ergo habuit nostrum textum, sed aliter legit. Agellius Alexandrinum censet legisse הוֹרִישׁוּנִי, quod verbum Exod. 34, 24 et Num. 21, 32 pro ἐκβάλλειν occurrit, quod verbum hic legitur apud LXX, sed vix propositio haec arridet. Lectio אִשְּׁרֻנִי beatificaverunt me, omnino non quadrat. Dicit Orans: Quocunque ego cum discipulis meis gressus nostros dirigimus, eo nos fervidi inspectantur, ac undique circumvallant hostili animo. Ketib סְבָבוּנִי, quod sequitur Vulgata, melius convenit quam Keri סְבָבוּנוּ, si intelligitur de Christo, ad cuius sepulchrum Iudaei

custodes posuerunt. Quo in casu אֲשֻׁרֵנוּ pro se accipiatur et exponatur de insidiis quas Iudaei prius Christo eiusque discipulis struxerant. — יָשִׁיתוּ melius vertitur posuerunt quam statuerunt. Oculos autem ponere aequat intentionem habere. - נְטֹה hic transitivum est : prosternere, sicut 18, 10 et 62, 4. Intentio inimicorum Christi est, omnes eius discipulos in terram prosternere, ne ultra surgere queant. בָּאָרֶץ positum est pro לָאָרֶץ ut 7, 6 quia hic praecipue eventus respicitur.

V. 12°. דְּמוּתֵנוּ certe non est susceperunt me, sed similitudo eius, scil. cuiusque ex adversariis vel forsitan capitis eorum. דְּמִיּוֹן ἅπ. λεγ. subst. similitudo. Interpres legisse videtur aliquam formam a נָשָׂא cum suffixio primae personae. St. Hieron. habet : Similitudo eius. - יִכְסֹף לִטְרֹף non est : paratus ad praedam, sed : appetit discerpere (cfr. 7, 3), ut etiam habet St. Hieron. Quae verba pronomine relativo cum praecedentibus coniungenda sunt. Interpres legisse videtur נָכוֹן לַטֶּרֶף.

V. 13°. קַדְּמָה פָּנָיו significare potest et reverenter ad aliquem accedere 95, 2 (postbiblicum : aliquem salutare, germ. jemand. seine Aufwartung machen), et hostiliter, infeste obsistere, se ei obiicere. Pro praeveni eum Vulgatae ergo hic ponatur obvia ei. — Hostis sicut leo contra Orantem currit, propterea hic Iehovam petit, ut sibi succurrens ei viam intercludat, eum ad terram det, ne procumbens in genua (כָּרַע de leone Gen. 49, 9. Num. 24, 9) sibi nocere possit. Pro supplanta ergo Vulgatae ponatur prosterne, et et ante supplanta deleatur. — Praeterea petit Orans Deum, ut animam suam eripiat ab impio חַרְבֶּךָ, quod et sicut יָדְךָ in sequente versu nihil aliud quam media designare possunt, quibus Deus Orantem liberare repraesentatur, quae ergo respondentia latino ablativo instrumenti, framea tua et manu tua vertantur.

Continuatur V. 14° descriptio luctae Dei cum hostibus Orantis. Petit ergo Orans Deum, ut se liberet מִמְתִים (quod legatur מִמְּתִים [1]), quod non audit : ab inimicis, sed : ab hominibus, et quod dependet a פַּלֵּטָה נַפְשִׁי versus praecedentis. Repetitur מִמְתִים, quod ergo non significat a paucis, ut habet Vulgata, et propius definitur adiecto מֵחֶלֶד, composito ex מִ et חֶלֶד, quod significare videtur sine sensu pertransiens vitae tempus a חָלַד repere, serpere, quapropter haud infacete חֶלֶד cum חָדַל seculum desinens (Endlichkeit) a חָדַל cessare,

1. מְתִם viri, homines. Deut. 2, 34 et alibi, a quo מִתִּם viriliter.

finem habere, commutatur, cfr. 49, 2 cum Isai. 38, 11[1]. Constructio מְתֵי מִחְלָד similis est ac 10, 18. 16, 4. Sunt homines qui nullam aliam patriam habent quam mundum; qui transit una cum concupiscentia sua, homines ἐκ τοῦ κόσμου τούτου vel υἱοὶ τοῦ αἰῶνος τούτου, sicut dicit Nov. Test. —Pro מֵחֶלֶק a חֵלֶק cum suffixio = eorum pars, legit interpres חַלֵּק cum suffixio, vertens : divide eos. Sensus verborum חֶלְקָם בַּחַיִּים eruitur e comparatione cum 16, 5 : Pars pii est Iehova, pars impii mundus. Pius dicit טוֹב חַסְדְּךָ מֵחַיִּים 63, 4, impius vitam praesentem cum bonis eius pro summo bono habet. — Pro eorum nihil adest in hebraeo. — In sequente Vulgata omittit ו ante צָפוּנְךָ absconditum tuum, thesaurus tuus reconditus, forma aramaizans pro צְפִינְךָ a צָפַן abscondere. Pro omisso ו habet Vulgata superfluum de. — תִּמָּלֵא est piel, תִּמָּלֵא niphal. — וְהִנִּיחוּ (pr. hiph. a נוּחַ k. quiescere, hi. relinquere) ut perfectum conversivum et descriptivum praesentis sensum habet : et relinquunt. — יֶתֶר hic potius est abundantia quam reliquiae. — Item עוֹלְלִים potius pueri quam parvuli hic vertendum mihi videtur (a radice עָלַל lascivire), cum עוֹלָל iam maturior grandior infans I Sam. 22, 19. 15, 3 a יוֹנֵק sugente distinguatur.

V. 15. אֶחֱזֶה non est apparebo, sed videbo. Item בְּהָקִיץ a קוּץ non est apparuerit, sed expergiscar ut 3, 6. Denique תְּמוּנָתֶךָ non est gloria tua, sed imago tua, forma, figura, species, εἶδος, μορφή, quod nos vultu tuo interpretandum esse censemus, quia agitur de visione Dei ipsius ; quod insuper ut a אֶשְׂבְּעָה dependens in ablativo ponendum est. Convenit hic psalmus, ut iam diximus, melius alteri Davidi quam primo, et propterea hic בְּהָקִיץ de evigilatione Christi a morte, et denique ultimus versus de visione Christi beatifica post eius resurrectionem intelligatur. Cum autem ille sit exemplum omnium Salvandorum, hic etiam sermo est de resurrectione mortuorum et de gloria bonorum post resurrectionem in visione Dei. — Redeamus ad principium.

II

Iam diximus, psalmum esse implorationem auxilii Dei contra saevos inimicos in sex strophis.

1. A quo derivatur חֹלְדָה talpa vel mustela. Conferatur dictum Ciceronis : Sensim sine sensu senescimus.

Prima stropha.

Psalmista conscius innocentiae suae Deum rogat, ut hanc externo publico iudicio manifestet.

V. 1. Audi, Iehova, iustitiam, intende clamorem meum!
Auribus percipe orationem meam non labiis doli (ad te directam)!

V. 2. De vultu tuo iudicium prodeat,
Oculi tui videant rectitudines!

V. 1. Adest triplex imploratio exauditionis, forsitan respectu ssmae Trinitatis. Christus est personificata iustitia. Propterea certo nulli hominum iacens Oratio perfecte convenit, bene autem Christo. De clamore bene adnotavit S. Petrus Damiani : « Auribus occulti iudicis non tam strepitus vocis, quam *clamor* insonat cordis. » M. P. l. 144, 389. Sed nihilominus affectus se etiam voce manifestat. Certo Christus nullo est usus dolo, orans ad Deum, sed divina sinceritate. « Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius ». Sic loquitur S. Petrus I. 2, 22 secundum Isaiam 53, 9 de Christo.

V. 2. Desiderat Orans, ut a cognitione divina prodeat iudicium suum, ut oculi Dei ipsius respiciant rectitudines suas, i. e. a Deo egredientem et sine tortuositate et flexione ad Deum tendentem intentionem, e qua omnes actiones suae fluxerunt. Certo tota fiducia tantum Christus sic loqui poterat ad Deum. Sic fere loquitur psalmista 43, 1, sic fere David, I. Sam. 24, 16.

Von *deinem* Erkentnis möge mein Recht ausgehn,
Deine Augen mögen durchschaun Geradheit.

« Prodeat et manifestetur iudicium, quo ante Pilatum iudicatus sum ». Odo Ast. Max. Bibl. 20, 1829. — Contendat quisque sic se exhibere, ut hac oratione Salvatoris pro se uti possit orans ad Deum.

Stropha secunda.

Confirmat psalmista innocentiam suam probatione divina quam expertus est, et probitate quam sequutus est.

V. 3. Probasti cor meum, visitasti nocte,
Igne me examinasti, nihil invenisti :
Proposui : non transgredietur os meum.

V. 4. In facinoribus hominum contra verbum labiorum tuorum
Ego cavi semitas effractionis.
V. 5. Perseveraverunt gressus mei in orbitis tuis,
Non vacillaverunt passus mei.

V. 3. Videsis inter locos discrepantes. Loquitur Orans de probatione qua probavit eum Deus, et quidem de probatione in nocte, quia in nocte, dum ab externis negotiis animus vacat, ea quae in penetralibus animi latent, vel cogitationibus vigilis vel somniis dormientis magis se produnt. Hac in probatione Deus nihil invenit quod Oranti obiiceret, insuper Orans sibi proposuit, non peccare ore suo. « Metaphora introducitur fornacium igne flagrantium, quae metallorum vitia solent purgare, ac decoctione consumere, et in naturae puritatem mundata revocare. Sic ergo et tribulationibus ignitis examinatus est Dominus Christus ; sed non est in illo inventa iniquitas, quam adustio ulla decoqueret. » Cassiodor. M. S. l. 70, 118.

V. 4. Pergit Orans loqui de probitate sua dicens, se quamvis multitudo hominum ageret contra verbum Dei, vitasse omnem viam malam. Videsis inter locos discrep. Placet huc apponere dictum s. Fulgentii, quod quidem nimis humile est de Christo intellectum, optime autem facit de homine probo : « Magnae, inquit, beatitudinis est sic in praesenti vivere saeculo, ut profectui spiritali omnis fidelis operam det, nec tamen hoc suis aliquando viribus superbus assignet, sed humili corde a Deo poscat iugem custodiam accepti muneris, a quo emanat totius bonae, non tantum principium, sed etiam perfectio voluntatis. » M. S. l. 65, 340.

V. 5. Continuat Orans apologiam suam texere. Bene adnotavit Cassiodorus de Christo : « Quid opus erat eum (Christum) de probitate morum suorum aliquid loqui, dum certum sit a paterna maiestate cuncta cognosci ? Humana ignorantia verbis instruenda est ; divinitas autem certissime novit omnia, etiam cum tacentur admissa. » M. S. l. 70, 118.

Tertia stropha.

Orans post detecta interiora sua et vitam suam coram Iehova reassumit petitionem suam.

V. 6. Ego talis invoco te, nam tu respondebis mihi, El !
Inclina aurem tuam mihi, audi orationem meam !

V. 7. Exerce mirabiles gratias tuas, Salvator sperantium,
A rebellibus [1], dexterā tuā.

V. 6. Videsis inter locos discrepantes. Certo Christus dubitare non potest, quin Deus ipsum exaudiat. « Confidenter oravit, quoniam se audiri posse de conscientiae puritate praesumpsit. » Cassiodor. 70, 119.

V. 7. Petit Christus resuscitari. Deus vocatur hic Salvator sperantium secundum bene notum versum hymni Te Deum : In te, Domine, speravi. Resuscitando Christum, liberabit eum Deus a rebellibus Iudaeis, qui nolunt Christi glorificationem eamque omnibus viribus impedire student. Hoc agendo, scil. resuscitando Christum, Deus dextera sua, id est, fortiter aget, nam resuscitatio Christi est opus omnipotentiae divinae.

Stropha quarta.

Orans pro dignitate quam habet natura sua humana ob unionem hypostaticam et pro amore Dei erga ipsum, summa ab eo exorare audet.

V. 8. Custodi me ut homunculum, filiam oculi,
Sub umbra alarum tuarum protege me,
V. 9. A facie impiorum qui vastant me,
Ab adversariis meis qui avidi circumdant me.

V. 8. Videsis inter locos discrepantes. Petit ergo Orans Deum, ut ipsum tam sollicite custodiat quam homo custodit pupillam oculi sui, et avis protegit pullos sub alis suis. Prima similitudo magnam supponit teneritudinem Dei erga homines. Nam caute quidem custodiuntur cuncta membra, uti pedes, digiti, caput, cautissime autem parva et tenera, inter quae eminent oculus et pupilla. « Pupilla oculi cum diligentia custoditur, quia nihil quod laedere possit permittitur appropinquare ; sic et facit Deus in custodia servi sui. Deut. 32, 10 : Circumduxit eum et docuit eum et custodivit quasi *pupillam oculi sui* ; Zach. 2, 8 : Qui vos tetigerit, *tangit pupillam* oculi mei. » St. Thomas. Sequitur alia imago aquilae protegentis pullos sub alis, item desumpta e Deut. 32, 11. Imago gallinae Matth. 23, 37 non occurrit in Vetere Testamento.

V. 9. De hoc versu sat locuti sumus inter locos discrepantes. Intelligendus est de Iudaeis, qui memoriam Iesu Christi omnino

1. Pendet a Salvator.

obliterare desiderantes, nascentem Ecclesiam suffocare studebant. Eripuerant Christo vitam temporalem, nunc intendebant etiam prohibere fundationem Ecclesiae. « Les sources des contrariétés de l'Écriture sont : un Dieu humilié jusqu'à la mort de la croix, un Messie triomphant de la mort par sa mort ; deux natures, en Jesus-Christ, deux avènements, deux états de la nature de l'homme. » Pascal, *Pensées*, seconde p. ar. 12.

Quinta stropha.

Inimici Orantis describuntur.

V. 10. **Adipem suum concluserunt,**
Ore loquuntur in superbia.

V. 11. **Insidiabantur nobis (prius), nunc circumdant me,**
Oculos suos posuere, ut prosternant in terra.

V. 12. **Similitudo eius ut leo qui appetit discerpere,**
Sicut leunculus sedens in lustris.

Consulantur loci discrepantes.

V. 10. Prima pars huius versus loquitur de duritia cordis Iudaeorum, secunda de eorum superbis locutionibus contra Christum et Christianos, cuius rei multa exempla legimus in evangeliis et in Actibus Apostolorum. « Hoc faciebant, quando Christum blasphemabant, et sanctos deridebant » etc. S. Bruno Ast. Bibl. Max. 20, 1458.

V. 11. Omnino necesse est videre quid diximus de hoc versu superius ad illum recte intelligendum. Primam partem eiusdem, ut videre est ibi, nos historice intelligimus, secunda generaliter accipi potest hoc sensu : sunt homines illi de quibus sermo est talis farinae, ut quidquid sapit Christum occidere vel destruere satagant. « Ait illis Pilatus : Habetis custodiam, ite, custodite, sicut scitis. Illi autem abeuntes, munierunt sepulchrum signantes lapidem cum custodibus. Posuerunt custodes milites ad sepulchrum. » S. Augustin. Sabbato Sancto in Breviario. Cfr. Matth. 27, 65-66.

V. 12. Agit hic versus de crudelitate inimicorum Orantis. Quae de cetero sat patet ex huc usque dictis. Malus etiam 10, 9 leoni in lustro assimilatur. Per leonem hoc loco S. Cyrill. Alex., Cassiodor. et S. Bruno Carthus. accipiunt diabolum, nos per eum personificatam hostilitatem in Christum et credentes in eum intelligimus, quae certe inspirata est a diabolo. Christus patiens et sic intrans in gloriam suam, ostendit sequacibus suis viam ad cœlum. Qua-

propter non inepte huc apponere putamus verba D. Bossuet : « Mais la loi la plus propre à l'Évangile est celle de porter sa croix. La croix est la vraie épreuve de la foi, le vrai fondement de l'espérance, le parfait épurement de la charité, en un mot, le chemin du ciel. Jésus-Christ est mort à la croix ; il a porté sa croix toute sa vie ; c'est à la croix qu'il veut qu'on le suive, et il met la vie éternelle à ce prix » etc. Discours, 2. p. ch. 19.

Sexta stropha.

Psalmista videns illum leonem quem descripsit in se irruentem, Dei auxilium contra eum efflagitat.

V. 13. Exurge, Iehova, obvia ei, prosterne eum,
Eripe animam meam ab impio framea tua :

V. 14. Ab hominibus manu tua, Iehova, abs hominibus huius saeculi,
Quorum pars est in hac vita, et recondito thesauro tuo imples ventrem eorum :
Satiati sunt filiis [1] et relinquunt abundantiam suam filiis suis.

V. 15. Ego in iustitia videbo faciem tuam,
Satiabor cum expergiscar vultu tuo.

V. 13. Est hic versus magnifica descriptio impetus inimici contra Orantem, vel potius contra eius corpus, id est, Ecclesiam, quae saepe tenetur vocare ad Deum instanter, instantius, instantissime, ut se adiuvet. Praevidet Christus, quomodo decursu saeculorum non tantum Iudaei, sed etiam Gentes contra Ecclesiam insurgent, contra eam conspirabunt et contra eam bellabunt, et propterea tam instanter orat pro ea. « Ce roi des Juifs et des Gentils est opprimé par les uns et par les autres, qui conspirent sa mort. Tout ce qu'il y a de grand dans le monde s'unit contre cette religion naissante, les savants, les sages, les rois. Les uns écrivent, les autres condamnent, les autres tuent, et malgré toutes ces oppositions voilà Jésus-Christ, en peu de temps régnant sur les uns et les autres, et détruisant et le culte judaïque dans Jérusalem, qui en était le centre, et dont il fait sa première Église, et le culte des idoles dans Rome, qui en était le centre, et dont il fait sa principale Église. » Pascal, *Pensées*, sec. p. ar. 11.

1. « Propter ambiguitatem verbi, quidam pro filiis ' porcinam ' (υἱῶν-ὑείων) scriptam arbitrantur ». S. Hieron. apud Morin.

V. 14. Continuatur descriptio inimicorum regni Dei. Sunt multi, sunt potentes, sunt longaevi. Quis hic sibi non in mentem revocaret tres inimicos regni Dei in Apocalypsi (c. 12-c. 14) eorumque interitum ibidem (c. 17-c. 20)? Sed obtinet dictum Tertulliani Apol. c. 50 : Cruciate, torquete, atterite nos... plures efficimur, quoties metimur a vobis. Semen est sanguis Christianorum.

V. 15. Gaudet propterea Christus de victoria quam mox referet resurrectione sua gloriosa, de tot victoriis Ecclesiae per decursum saeculorum, de gloriosa resurrectione Sanctorum in fine mundi deque ipsius et eorum visione beatifica in beata aeternitate, ad quam nos omnes Deus benignitate sua pervenire concedat. Amen.

Iesu, tibi sit gloria
Qui te revelas parvulis,
Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna saecula. Prudentius.

IX. PS. 108 (107). ORATIO CHRISTI RESUSCITATI PRO LIBERATIONE DILECTORUM SUORUM.

« Iudaica caecitate sensus intra literam tenebatur inclusus ». St. Augustin. in Breviar. in festo S. Ioan. Bapt.

Psalmus hic in inscriptione Davidi attribuitur. Qui forsitan eum sic consuit ut iacet e psalmis 57° et 60° post magnam quamdam victoriam praevidens gloriam magnae suae prolis. Denique magis Christo quam mero homini convenire videtur. « Per totum psalmum loquitur Dominus Christus... Quapropter singula magna debemus intentione (melius attentione) perquirere. » Cassiodor. M. 70, 777.

Constat psalmus parte psalmi 57^{i}, a versu 2° ad 6^{um}, et parte psalmi 60^{i}, a versu 7° ad 14^{um}.

Habet psalmus in inscriptione שִׁיר מִזְמוֹר לְדָוִד quod Vulgata vertit: canticum psalmi, ipsi David. Pro : ipsi David ponendum fuisset : auctore Davide, vel simpliciter Davidis, prout iam supra diximus. שִׁיר quod in fronte triginta trium psalmorum occurrit, nos accipimus pro indicatione laeti cantici. Certe fuerunt laeta Cantica triginta tres anni quos Christus vixit in terra. מִזְמוֹר quod in fronte quinquaginta septem [1] psalmorum comparet, sublimitatem illius psalmi cui praefixum est, annuere videtur. Disputari potest, utrum שִׁיר et מִזְמוֹר quodque per se vel utrumque simul sumendum sit. Prius probabilius videtur. Propterea Iunius habet : Canticum et psalmus Davidis. — Quo facto accedamus prius ad proponendos locos discrepantes et tum ad concinnandum commentarium continuum.

I

Sunt homines qui propriam quidem ignorantiam linguae hebraicae ingenue fatentur, sed nihilominus eam tam incertam iudicant, ut nullus hominum aliquid certi ex ea eruere possit. Quod non parva calumnia est contra sanctam linguam eiusque studia extirpare posset, quae tamen tantum laudata sunt a S. Hieronymo, et Origene et a tot Summis Pontificibus et iussa a Concilio oecumenico Viennensi. Quanta ergo superbia illi homines tumentes existimandi

1. Nescimus utrum hic numerus non innuat summam adorationem exhibitam per hos psalmos ssmae Trinitati ob summam conflatam e numero sexenario multiplicato cum nono, et addito numero tertio.

sunt, qui iudicant de re sibi ignota ac si illam funditus cognoscerent. Repudiantes ergo tales homines, accedimus ad elaborandum propositum nobis pensum. — Sunt in hoc psalmo sequentes loci discrepantes.

Versum 1^um^ iam explicavimus.

V. 2°. נָכוֹן etiam hic, ut 57, 8, melius verteretur firmatum quam paratum, quod secundo in Vulgata abundat. — Insuper אַף־כְּבוֹדִי non est : in gloria mea, sed : etiam, quin imo, gloria mea scil. cantet et psallat.

Versus 3^us^ : Evigila nablium et cithara, expergefaciam auroram.

V. 5°. חַסְדֶּךָ potius gratia quam misericordia tua vertatur.

V. 6°. רוּמָה hic est transitiv., ut 57, 6 : ergo exalta, non exaltare. Propterea et gloria tua ponatur in accusativo.

Versu 7° punctum post tui delendum est, cum praecedens a sequente dependeat. Insuper pro salvum fac melius poneretur : salutem fac vel praebe, vel : salva, serva etc.

Versu 8°. בְּקָדְשׁוֹ hic non est in sancto suo, sed in sanctitate sua. — Abundat et in Vulgata post laetabor. — סֻכּוֹת pro quo Vulgata habet : tabernaculorum, hic est nomen proprium.

V. 9°. מָעוֹז revera est fortitudo, robur, hic autem pro : cassis, galea positum est. — מְחֹקְקִי non est : rex meus, sed sceptrum meum (Gen. 49, 10).

V. 10°. רַחְצִי non est : spei meae, sed : lotionis meae. — אַשְׁלִיךְ non est : extendam, sed : proiiciam. — Denique finis versus sic vertatur : contra Philistaeam clamorem edo, eam, ut ita dicam invitam trahendo ad Ecclesiam. In Ps. 60, 10 Philisteae ipsi expressio horum sensuum attribuitur.

V. 12°. זָנַחְתָּנוּ potius reiecisti, proiecisti, quam repulisti nos vertatur. — תֵּצֵא hic post perfectum est imperfectum descriptivum. - אֱלֹהִים non est vocativus, sed vertendum est : ut Elohim, qui scilicet nos adiuvabas. — בְּצִבְאֹתֵינוּ clarius hic vertitur : cum exercitibus nostris, quam : in virtutibus nostris.

V. 13°. מִצַּר aequat : ab hoste, non : de tribulatione.

V. 14^us^. Cum Deo (Elohim) vincemus, et ipse conculcabit (יָבוּס non est : ad nihilum deducet, sed : conculcabit) inimicos nostros.

II

Constat psalmus quinque strophis.

Prima stropha. Orans se ipsum ad laudem Dei excitat, ut 57, 8-9. « Resurrectionis dies : splendescamus, o populi ». S. I. Damasc.

V. 2. Firmatum est cor meum, Elohim,
Cantabo et psallam,
Quin imo gloria mea (cantet et psallat).
V. 3. Exurge psalterium et cithara,
Expergefaciam auroram [1].

V. 2. Dicit ergo Salvator glorificatus ad Deum : Firmatum, נָכוֹן, id est totum laetum et gaudiosum est cor meum, o Deus sancte, in te, ob victoriam quam retuli de daemone et de mundo, et ob gloriam qua me perfudisti. Propterea cantabo et psallam, imo gloria mea, id est, anima mea (cfr. 7, 6. 16, 9. 30, 13) omnibus viribus suis cantet et psallat tibi, o Deus.

V. 3. Vult Orans nablio et cithara sua nondum ortam auroram, solem adhuc in tabernaculo suo dormientem (cfr. 19, 5) expergefacere, ut festinet videre gloriam suam. Nec lingua valet dicere, nec litera exprimere, quanta haec fuit gloria.

Secunda stropha. Orans gloriam suam universo mundo annuntiabit. Ut 57, 10-12.

V. 4. Cantabo te in populis, Iehova,
Et laudabo te in nationibus :
V. 5. Nam magna super coelos est gratia tua,
Et usque ad nubes veritas tua.
V. 6. Exalta super coelos, Elohim,
Et super omnem terram gloriam tuam.

V. 4. Ego cantabo te, o Iehova, qui constituisti me regem super populum tuum in terra (2, 6-9), in populis, et laudabo te per praedicationem apostolorum meorum, per sacrificium eucharisticum, denique per ecclesiam catholicam in omnibus nationibus in universo mundo. « His dictis universalis significatur Ecclesia ». Cassiodor. 70, 778.

V. 5. De hoc versu dicit Cassiodorus : « Hoc quoque dicitur Patri : « Idem dicit de gratia Dei exaltata super cœlos, hoc fieri,

1. Ut festinet videre gloriam meam.

quando supernae potestates eius[1] beneficiis perfruuntur. Nam licet bonorum angelorum et diversarum potestatum summa dignitas habeatur, ipso tamen praestante beati sunt. » Gratia Dei autem acquisita per Christum certo etiam exaltatur super coelos, quando Sancti ingrediuntur in regnum coelorum, et praecipue exaltatione glorificatae humanitatis Christi ad dexteram Patris aeterni. « Ascendit ad coelum, sedet ad dexteram Dei Patris Omnipotentis. » « Qui post resurrectionem suam omnibus discipulis suis manifestus apparuit ; et ipsis cernentibus est elevatus in coelum, ut nos divinitatis suae tribueret esse participes. » « Qui ascendens super omnes coelos, sedensque ad dexteram tuam. » « Se regnans dat in praemium. » — Dicit praeterea Orans ad Deum : Et veritas tua se extendit usque ad nubes, id est, fidelitas tua in adimplendis promissis est maxima, est certissima, est inconcussa.

V. 6. Hic versus votum exprimit, ut quae in duobus praecedentibus dicta sunt de fundanda Ecclesia, de glorificando Christo et Sanctis mox et largissime adimpleantur. « Sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Per gloriam Dei ergo hic venit glorificatio Christi, fundatio Ecclesiae, sanctificatio et glorificatio hominum. « Hoc excolit quod superius dixit ». Cassiodor.

Stropha tertia. Succurre nobis, ut 60, 7.

V. 7. Ut liberentur dilecti tui,
Salva dextera tua et exaudi me.

Hoc versu et sequentibus Orans idem dicit ad Deum ac in praecedentibus, sed verbis humilioribus et circumscriptis. Hic ergo dicit Christus resuscitatus ad Deum : ut liberentur dilecti tui, qui sunt etiam dilecti mei, perveniendo ad salutem, salva tu eos, perduc tu eos ad salutem, nam propria virtute id exequi non possunt, exaudiens orationem meam pro eis. Ponitur dextera Dei ad exemplum hominis, qui communiter dextera agit. Quantum ad orationem Christi resuscitati bene exclamare possumus : O quam pretiosa et efficax erit illa oratio, certo voluntate sua non defraudabitur. Concipiamus ergo magnam fiduciam in divinum cor Iesu, nam illo tempore etiam pro nobis oravit, et continuo pro nobis orabit in ssmo Altaris Sacramento et in coelo. « Semper vivens ad interpellandum pro nobis. » Hebr. 7, 25. Dicit in sequentibus Orans, undenam venient dilecti sui.

1. Christi.

Stropha quarta.

Dilata, o Deus, regnum tuum, uti promisisti, ut 60, 8-10.

V. 8. Elohim locutus est in sanctitate sua :
Laetabor, dividam Schechem
Et vallem Succot metiar.
V. 9. Mihi Gilad, mihi Menaschschek
Et Ephrajim cassis capitis mei,
Iehudah sceptrum meum.
V. 10. Moab lebes lotionis meae,
Super Edom proiiciam calceamentum meum;
Contra te, Philistaea, clamorem edo.

V. 8. Dicit ergo Orans : Elohim locutus est ; id est : promisit, in sanctitate tua, id est : ut glorificaretur nomen suum per sanctificationem hominum, me exaltaturum esse, cum dividerem Sichem et metirer vallem Succot, id est, quando dominarer in illas terras circa Iordanem sitas. *Quo*, ut videtur, *ingressus Iudaeorum in Ecclesiam designatur*. De iisdem regionibus etiam loquitur Isaias 9, 1-2 dicens : « Populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam : habitantibus in regione umbrae mortis, lux orta est eis. » Quod Matthaeus 4, 14-16 adimpletum fuisse dicit habitando et operando Christo in illis regionibus ; sed quod etiam applicari potest ad conversionem Iudaeorum. — Continuat Orans dicere *versu* 9° : Item mihi promisit Elohim, ut meae essent terrae in regione Galaadite, id est, tribuum Ruben et Gad et terrae tribus Manasse. *Quo*, ut videtur, *futurus accessus nationum exterarum ad Ecclesiam praedicitur*. — Praecipue gloriatur Orans de Ephraim, qui fuit tribus fortissima et quae propterea regem praecipue tueri tenebatur (cassis, galea capitis mei), et de Iuda, qui fuit tribus regia illius populi qui ad regendum orbem terrarum destinatus erat cfr. Gen. 49, 10. Num. 21, 18. Dan. c. 2 et c. 7, dictum regnum caelorum in Novo Testamento. *Quo nos futuram coniunctionem nobilium cum Ecclesia praefigurari credimus*. — Continuat

Versu 10° Orans dicere : Moab lebes lotionis meae, id est, eis utar ad servitia humillima. Et : Super Edom proiiciam calceamentum meum, id est, Edomitae vilissimorum mancipiorum munere fungentur, et etiam contra superbos Philistaeos agam, ut convertantur. *Quo exprimitur, nullam conditionem, neque vilissimam, ab Ecclesia exclusum iri*, neque contumacissimam. Conferatur apertio primi

sigilli de equite super equo albo Apoc. 6, 2. Secundum quod et fere inviti, ut ita dicam, ad Ecclesiam trahantur, sicut factum et de Saulo, et de Alphonso Ratisbonne et de Saxonibus. Videas inter locos discrepantes. Videsis quoque Weber Dreizehnlinden. Utinam etiam nostris diebus sic ageret cum laponis, Indis, Sinensibus et aliis. Ergo Iudaei et gentes, nobiles et servi et qui duro sunt animo ad Ecclesiam accedent, erit Ecclesia catholica et quoad terras et quoad homines. — Petit denique Orans in *Stropha quinta*, quam inscribimus : Spes certa victoriae (60, 11-14), ut Deus praedictum mox ad salutarem finem perducat.

V. 11. Quis deducet me in civitatem munitam,
Quis deducet me usque ad Edom?
V. 12. Nonne tu, Elohim, qui reiecisti nos
Et qui non egrediebaris ut Elohim cum exercitibus nostris.
V. 13. Da tu ergo nobis auxilium ab hoste,
Frustra enim exspectatur salus ab homine.
V. 14. Cum Deo (Elohim) vincemus,
Et ipse conculcabit inimicos nostros.

Dicit ergo Orans : Cum tanta promiseris, o Deus, deduc tu me in סֶלַע vel Petram, civitatem munitissimam Edomitarum, et adiuva me ad conquirendam totam terram Edom. Edom cum urbe sua Petra hic est symbolum regni mundi sicut Isai. 34, 9, quod destruendum erat per regnum Dei, sicut praedixerat Apocalypsis, et sicut evenisse ostendit historia Romae christianae et paganae. Interrogatio autem hic sensum habet : Tu, o Deus, teneris ad adimplendum promissum tuum me adiuvare ad conquirendum regnum mundi. Confer quoad modum dicendi III Reg. 15, 7. 23. 16, 5. 22, 39-46, etc. Praedicitur idem ac hic in psalmo 110. v. 6 secundum textum hebraicum.

V. 12. Nam si tu, Elohim, qui reiecisti nos, et per aliquod tempus non egrediebaris ut Elohim cum exercitibus nostris, nos non adiuvas, quid facere possumus? Comprehendit hic se Christus nimia humilitate cum populo Dei quem Deus interdum dereliquisse videbatur ad punienda eius peccata et ad eum corrigendum. Et quis dubitare posset, quin Deus orationem Christi sui non exaudiret? Et tamen tantum reliquiae Israël salvae factae sunt. Cf. Rom. c. 11. Oportet ergo ut cum timore et tremore salutem operemur. Sed etiam quid facere possumus sine gratia? Iudaei autem convertentur ad Christum in fine mundi, ut praedicit Paulus in ep. ad Romanos 11, 25-36 et secunda Pars Cantici Canticorum a 5, 2-8, 10.

V. 13. Instat propterea Orans : Da ergo tu, o Deus, nobis auxilium ab hoste, frustra enim expectatur salus ab homine.

V. 14. Cum Deo autem vincemus et ipse conculcabit inimicos nostros. « Αὐτὸς γὰρ πάντων ὑπάρχει Σωτὴρ, ὅτι καὶ πάντων Δημιουργός. Αὐτῷ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας. Ἀμήν. » S. Maximus abbas. M. S. gr. 96, 872.

PSALMI MERE MESSIANICI

(Videas p. 26.)

Cantica mere prophetica de Christo in psalterio.

Psalmi novem mere messianici quos tractavimus summum inspirationis gradum supponunt, cum sacer scriptor Christi sensibus audierit, viderit et locutus sit. Psalmi qui sequuntur in hoc praecedentibus inferiores sunt, quod sacer scriptor propriis sensibus audit et videt. Sed quae scribit omnia ad Messiam vel regnum Messianicum referuntur, quamvis forsitan aliqua occasione externa ad scribendum motus sit. Nominamus hos psalmos *Cantica mere prophetica de Christo in psalterio.* Pertinent huc :

1. Ps. 8 Canticum in noctem Nativitatis Domini.
2. Ps. 2 Canticum in Resurrectionem Domini.
3. Ps. 110 Canticum in Christi ascensionem.
4. Ps. 111 Canticum de regno messianico.
5. Ps. 112 Canticum de Christi ortu, regimine in Ecclesia et victoria finali.
6. Ps. 113 Canticum de elevatione generis humani per Incarnationem et Ecclesiam.
7. Ps. 45 Canticum de nuptiis Messiae cum genere humano per synagogam peragendis.
8. Ps. 87 Canticum de Sione matre omnium populorum.
9. Ps. 72 Canticum de Salomone divino.
10. Ps. 117 Canticum ob conversos populos.
11. Ps. 20 Est canticum precatorium pro corde Jesu.
12. Ps. 21 Canticum de Messia rege.
13. Ps. 23 Canticum in Messiam pastorem.

Quos secundum hunc ordinem tractabimus.

PS 8. CANTICUM IN NOCTEM NATIVITATIS DOMINI.

Nobis persuasum est, esse hunc psalmum cantum in noctem Nativitatis Domini. Propterea non meminit solis. Sic procedit : Versus 2^us^ exhibet exclamationem de admirabili notitia Dei in universa terra. — Stropha prima a 2^b^ ad 3 dicit, mirabile quidem esse coelum stellatum, sed mirabiliorem destructionem inimicorum Dei per cultores Christi. — Stropha secunda in vv. 4 et 5 admirationem exprimit de incomprehensa bonitate Dei in filium hominis, quo hic genus humanum venit. Haec autem designatio transitum facit ad sequens, ubi de Christo intelligenda est. — Stropha tertia in vv. 6 et 7 explicat tantam bonitatem Dei in homines incarnatione Filii Dei. — Stropha quarta denique, respondens primae, ut consequentiam Incarnationis indicat subiectionem omnium hominum, qui per diversas bestiarum classes repraesentantur sub Filium hominis. Finem tandem imponit exclamatio par illi in initio psalmi.

Argumentum ergo psalmi est : Opus redemptionis maius est opere creationis. Cui consentit oratio in Missa : Deus qui humanae substantiae dignitatem mirabiliter condidisti et mirabilius reformasti.

Post discussos locos discrepantes apponemus Commentarium perpetuum.

. Loci discrepantes.

V. 1. De לַמְנַצֵּחַ, de מִזְמוֹר et de יְדִיד consulas ad ps. 19 dicta.

Disputatur de sensu עַל־הַגִּתִּית. Novi communiter id de instrumento musico vel de modo canendi interpretantur. Occurrit etiam in fronte psalmorum 81 et 84. Quum autem tres psalmi quos insignit, sint laeta cantica, oportet, si posita sententia vera est, גִּתִּית fuisse vel instrumentum laeti sonus vel hilarem melodiam.

Antiqui plerumque גִּתִּית pro גַּתִּית accipientes verterunt pro torcularibus sicut habetur in Vulgata, et psalmum pro cantico vindemiae accipiebant, quod praecipue in tabernaculorum festivitate canebatur in gratiarum actionem Deo pro mundi creatione, quae tunc temporis contigisse credebatur, et pro fructuum messe. Patres dictum : pro torcularibus in spirituali sensu explicuere de Iesu Christi Ecclesia, quae mystica est vinea, in qua secundum Salvatoris ipsius effatum (Matth. 21. 33) positum est torcular.

Iuvat huc apponere quod de praedictis inscriptionibus notavit

Theodoretus Cyrensis : « In finem, inquit, pro torcularibus, Psalmus Davidi ». Considerandum est, in quolibet psalmo, in quo Septuaginta *in finem* posuerunt, Aquilam quidem et Theodotionem *victoriae auctori* interpretatos esse, Symmachum vero, *triumphalis. Hic igitur psalmus triumphalis Deo auctori victoriae offertur, qui inimicum et ultorem diabolum destruxit*, quique homines in finem usque ab illius tyrannide liberavit. *Torcularia* autem Ecclesias appellat, quoniam et Dominus vitis vocatur..... *Et octavus item psalmus, Pro torcularibus inscriptus, orbis terrae salutem vaticinatur, et Dei providentiam erga homines docet, atque Unigeniti incarnationem praedicat.* » Migne S. gr. 80, 914.

V. 2. אַדִּיר non est admirabilis, sed magnificus, ut evincitur ex Ier. 30, 21. 25, 34. Nah. 3, 18. Obvenit etiam v. 10. — Porro אֲשֶׁר תְּנָה non significat quoniam elevata est, sed videtur significare : cuius positio. תְּנָה quidem alibi ut forma Imperativi obvenit. Sed hic Imperativus non quadrat. Oportet ergo ut תְּנָה hic sit forma irregularis infinitivi constructi, vertenda cum praecedente אֲשֶׁר et sequente הוֹדְךָ coniuncta : tu cuius gloriae positio, quod clarius diceretur : tu qui gloriam tuam posuisti. Forsitan etiam pro תְּנָה legendum est תִּתְּךָ ut Ez. 28, 6. Optime perinde s. Hieronymus totum hunc versum sic vertit : Domine Dominator noster! quam grande est nomen tuum in universa terra, qui posuisti gloriam tuam super coelos. LXX forsitan legerunt תְּנָה.

V. 3. יִסַּדְתָּ עֹז non est : perfecisti laudem, sed : fundasti robur vel potentiam. — Porro לְהַשְׁבִּית non aequat : ut destruas, sed : ut cessare vel obmutescere facias, cfr. Ps. 89, 45. 119, 119. Isai. 16, 10, etc.

V. 4. כִּי in initio non indicat causam, ita ut verti debeat : quoniam, sed conditionem temporalem : quando, si, quum. Eodem sensu occurrit Deut. 13, 19 (Vulg. 18), vel est exclamatio : Revera. — Insuper כּוֹנַנְתָּה a כּוּן non est : fundasti, sed : statuisti, ordinasti etc. Est forma in pausa cum ה paragogico pro כּוֹנַנְתָּ, cfr. Iob 8, 8. Isaï. 45, 18. Ps. 99, 4.

V. 6. Pro ; Minuisti eum paulo minus ab angelis habetur hebraice : וַתְּחַסְּרֵהוּ מְעַט מֵאֱלֹהִים, quod potius verti debet : et fecisti eum paulo minorem quam Elohim, sub quo ultimo nomine forsitan Deus ipse venit. Ipse s. Hieron. vertit : Minues eum paulo minus a Deo.

V. 7. Abundat Et in initio. — Insuper תַּמְשִׁילֵהוּ non est simpliciter constituere, sed regem constituere.

V. 9. עֹבֵר non se refert, ut videtur, ad דָּגִי quod pluralis est, ita ut cum Vulgata verti possit : qui perambulant, sed absolutum est sensu : quidquid perambulat. Sic P. Emmanuel, Tremellius et Iunius.

Transeamus ad expositionem.

II

Iam indicavimus psalmi argumentum propriis verbis et verbis Theodoreti Cyrensis. Quocum consentiens, inscripsit Eusebius hunc psalmum : « Prophetia vocationis gentium ». M.S. gr. 23, 67. Et s. Haymo : « Materia est Christus. De eo sic agit : ostendit excellentem potentiam divinitatis per magnifica opera sua, ostendit etiam humanitatem eius humilem, deinde exaltatam super omnem creaturam. *Intentio* vero est, admonere fideles, ut tali Domino subiiciantur. *Loquitur* hic propheta vel quilibet de Ecclesia quae fuit ante adventum Christi ». M. S. l. 116, 220. Et ipse Theodorus Mopsuestenus dicit : « In hoc quoque Christum nobis prophetat beatus David. Ex inspiratione Spiritus, quo modo eum laudaturi sint infantes, lactentes, caeterique parvuli praedicat : quidam dicunt, et haec est sententia communis, hominem interrogatum fuisse in Scenopegiae festo, hunc psalmum a Davide fuisse compositum pro tempore quo fructuum fit collectio : ideo Pro torcularibus, inscribitur. » M. S. gr. 66, 651-654. Qua in circumstantia convenit cum psalmo theocraticomessianico 67 (66). Accedamus ad ruminanda singula.

V. 2. *Exclamatio initialis* : Iehova Adonai, quam magnificum est nomen tuum in universa terra !

Convenientissime positum est hic nomen Dei יְהוָה, quia agitur de Deo uti rectore populorum, et alterum אֲדֹנָי, quia agitur simul de Deo qua Domino magnae domus creationis. Noster est pronomen amoris. Nomen aequat revelatio. In sequentibus loquitur propheta de revelatione Dei et naturali et supernaturali.

Prima stropha : Creator coelorum ab infantibus defensus.

Tu qui posuisti gloriam tuam super coelos,

V. 3. Tu ex ore infantium et lactentium fundasti potentiam,
Propter adversarios tuos,
Ut cessare facias osorem et ultorem.

Hic in prima linea de magnificentia coeli stellati sermo est, quod sine dubio enarrat gloriam Dei, et quod clarius splendebat in nocte Nativitatis Domini. E coniunctione huius lineae cum sequente versu patet, Filium Dei, Redemptorem generis humani, fuisse apud Patrem et Spiritum Sanctum, quando mundus creatus est, operantem cum eis, ut postmodum dixit s. Ioannes in initio evangelii sui. Consideratio autem coeli stellati nobis serviat oportet ad cognoscendam Dei potentiam : « Invisibilia enim ipsius a creatura mundi, per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur » etc. Rom. 1, 20. Vix est homo qui se subtrahere queat admirationi coeli stellati. Non sic res se habet de revelatione, quae multos habet adversarios, ad quos compescendos, ut dicitur

Versu 3° iste Deus magnus et potens, qui creavit coelum, fundavit sibi, ut videtur, potentiam impotentem ex ore, id est, confessionem infantium et lactentium, quo parvi et humiles huius mundi veniunt. « Nam quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes » etc. I. Cor. 1, 21-29. Cultores veri Dei ergo hic per similitudinem vocantur infantes et lactentes, sicut etiam a Christo ipso Matth. 18, 3 et a s. Petro I. 2, 2. « Id vero tuam potentiam maxime demonstravit, quod per homines, qui minime humanam sapientiam didicerant, *quique lactentium puerorum simplicitatem imitabantur*, perniciosissimum illum tyrannum everteris » etc. Theodoret. Cyr. S. gr. 80, 915. Nomine inimici veniunt hic omnes adversarii revelationis, nomine ultoris furentes inter illos, uti fuerunt Pharao, Pharisaei, persecutores christianorum etc. Hunc versum Christus adimpletum esse dixit, quando infantes in templo ei Hosanna acclamabant Matth. 21, 15-16. « In Evangelio secundum Matthaeum primum quidem qui praecedebant Salvatorem, et qui sequebantur, et clamabant dicentes : Hosanna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini, hosanna in altissimis » (Matth. 21, 9). Paulo post autem scriptum est videntes principes sacerdotum et scribas mirabilia quae fecit, et pueros clamantes in templo et dicentes : « Hosanna filio David », indignatos esse et dixisse ei : « Audis quid isti dicunt ? Iesus autem dixit eis : Utique. Nunquam legistis *quia ex ore infantium et lactentium* », et reliqua. Videtur igitur, Matthaeus easdem turbas pueros vocare, et Salvator non simpliciter pueros, sed et infantes et lactentes, verbis psalmi ». Origenes, M. S. gr. 12, 1183. Memoretur cantus : Pueri Hebraeorum Dominicae Palmarum.

Evangelista quidem ibidem Christum dixisse narrat κατηρτίσω αἶνον pro יִסַּדְתָּ עֹז, sequens LXX. Laus illa tum potentia erat, qua inimici Christi ad silentium redigebantur. Quam pulchra sunt verba Salvatoris scaturientia e sanctuario sacratissimi Cordis eius : « Confiteor tibi, Pater, Domine coeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Ita, Pater, quoniam sic fuit placitum ante te » etc. Matth. 11, 25-30. Et verba s. Brunonis Ast. ad h. l. ps. : « Sic loquuntur ebrii, sic loquuntur illi, qui sanguinem Christi bibere meruerunt. Laetantur quod nomen summi et aeterni Dei iam non solum in Iudaea, ut quondam, sed ubique gentium laudatur et praedicatur. » M. S. l. 164, 720. De inimicis Christi autem ad h. l. adnotavit s. Athanasius : « Aut sensibilem, aut intelligibilem inimicum ait, aut populum Judaicum. Christum enim ceu inimicum pellebant, et simulabant se Patris ulciscendi animo id agere. » M. S. gr. 27, 82. Et : « De Iudaeis et de diabolo loquitur. » Ibid. c. 674. Et generalius Petrus Lombardus secundum s. Augustinum : « Inimici sunt generaliter omnes, qui dispensationi per Crucifixum factae contraria dicunt. » M. S. l. 191, 124. — Sic sat explicata stropha prima, transeamus ad secundam.

Secunda stropha. Creator coelorum visitans hominem.

V. 4. Revera ! contemplans coelos tuos, opus digitorum tuorum,
Lunam et stellas, quae tu fundasti (exclamare teneor),
V. 5. Quid est homo, quod memor es eius,
Et Filius hominis, quod visitas eum ?

V. 4. Apud Isaiam 40, 26 Deus ipse invitat Israëlem ad contemplandam magnificentiam coelorum dicens : « Levate in excelsum oculos vestros, et videte quis creavit haec, qui educit in numero militiam eorum, et omnes ex nomine vocat : prae multitudine fortitudinis et roboris, virtutisque eius, neque unum deest. » Item pulchre dicit Ecclesiasticus : « Species coeli gloria stellarum, mundum illuminans in excelsis Dominus. » 43, 10. Revera ! non habentur maiora spectacula mari immenso et cœlis immensis ! Quanta potentia, quanta sapientia opus erat ad illa creanda et ad illa ordinanda, quanta insuper exigitur potentia et sapientia ad illa conservanda ! « Statuit illa in aeternum, et in saeculum saeculi : praeceptum posuit et non praeteribit. » Ps. 148, 6. Ille autem Deus omnipotens et sapientissimus, qui omnia creavit et gubernat, praecipue curam agit de homine, ut dicit

Versus 5. Quod eo admirabilius est, quia apparenter quoad

molem corporis nihil videri potest comparatus cum immensitate corporum cœlestium et terrestrium. Ut magis hoc pateat, de industria positum est אֱנוֹשׁ, quod praecipue de homine inope, caduco, mortali, adhibetur, a verbo אָנַשׁ, aegrum esse, aegritudine affici. Propterea comparatur homo in ps. 103 (102), 14. 15 cum pulvere, foeno et flore, sicut etiam alibi in scriptura. Etiam בֶּן־אָדָם servit ad exaggerandam parvitatem hominis. Sed considerentur verba Dei apud Isaiam : « Ego, ego ipse consolabor vos. » 51, 12. Et verba s. Chrysostom. : « Universa creatura propter hominem. » M. S. gr. 55, 116. Imo Deus non tantum tot res creavit, pro homine, sed ipse etiam homo factus est, ut hominem Deum faceret, ut canitur in *Stropha tertia.* Deus humiliatum hominem fecit regem operum suorum.

V. 6. Minuisti eum quidem paulo minus [1] ab Elohim,
At gloria et decore coronasti eum.
V. 7. Constituisti eum regem super opera manuum tuarum
Omnia posuisti sub pedes eius.

Quibus verbis et humiliatio et glorificatio Filii Dei praedicitur.

« Se nascens dedit socium,
Convescens in edulium,
Se moriens in pretium,
Se regnans dat in præmium. »

Ruminanda sunt singula.

V. 6. Notatu dignum est quod scribit Walafridus Strabo ad h. l. : « Quod magnificentius in hebraico ponitur : Minues eum paulo minus Deo : ubi et aequalis Patri secundum divinitatem evidenter ostenditur, et minor Patre futurus secundum humanitatem declaratur. » M. S. l. 114, 767. Et Euthymius Zigabenus : « Possumus etiam non ingratam quorumdam expositionem recensere : quod scilicet illa verba : *Minuisti eum modicum* quid, non ad angelos referenda sint, sed ad gloriam Dei Patris, atque hoc pacto legenda : Minuisti eum, o Pater, modicum quid a tua nimirum dignitate propter carnis naturam. » M. S. gr. 128, 138. S. Paulus usurpans hunc locum in ep. ad Hebr. 2, 6-8 versionem LXX παρ' ἀγγέλους retinuit, quia natura humana qua talis minor est natura angelica. Filius autem Dei sic minoratus, gloria et honore coronatus est a Deo, quod intelligere possumus de glorificatione Christi in hoc mundo et in cœlo. De qua plura diximus, et dicemus in expo-

1. מְעַט de tempore intelligatur.

sitione psalmorum 110 (109), 2 et aliorum. Omnes psalmi messianici annuntiant glorificationem Christi. De qua etiam agit

Versus 7. De munere Christi regio praecipue agunt ps. 45 (44), epistola ad Hebraeos, Daniel in celeberrimis capitibus 2 et 7, Apocalypsis etc. « Ὄψεσθε τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου καθήμενον ἐκ δεξιῶν τῆς δυνάμεως. » Matth. 26, 64. « Ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ τῆς μεγαλωσύνης ἐν ὑψηλοῖς. » Hebr. 1, 3. De gaudio coeli et terrae eo quod Iesus Christus constitutus est rector rerum humanarum consulatur Apoc. 5, 8-12. — Continuatur idem argumentum in

Stropha quarta. Quaenam animantia Deus filio hominis subiecit.

V. 8. Oves et armenta omnia,
Insuper et animalia agri,
V. 9. Aves caeli et pisces maris,
Quidquid pertransit semitas ponti.

Sub intelligendum est : Posuisti, o Deus, sub pedes Messiae.

V. 8. Nexum inter hanc stropham et praecedentem bene indicat Cassiodorus verbis : « In hoc et alio versu qui sequitur, argumentum est quod dicitur per enumerationem. Ergo hic explicatur id quod antea in globo dictum est. Et addit Cassiodorus : « Verum haec et alia nomina, quae sequuntur, allegorice dicta debemus accipere. » M. S. l. 70, 77. Sensum autem eorum breviter comprehendit Arnobius Iunior verbis : « Quod dicit oves, simplices nominat ; boves, qui laborant sub iugo Domini ; pecora campi, plebs laicorum [1] ; volucres cœli, alta cogitantes ; pisces maris, profunda rimantes. Hos omnes subiectos habens per passionem Christi Ecclesia, confitetur admirabile nomen eius in universa terra. » M. S. l. 53, 335. Videas praeclarum testimonium Clementis Alex. de operatione Λόγου in Com. n. in ps. 35 ad v. 3. Et precemur cum Ecclesia in festo s. Pauli a Cruce, ut passionem Christi recolentes in terra, eiusdem fructum consequi mereamur in coelis.

Oratio hic altam redolet poësin. צֹנָה a צָנָה (צָנָא Num. 32, 24) vox poëtica est pro צֹאן oves et caprae, proprie animalia septis inclusa. אַלָּפִים (vox usitatissima in aramaico, ut patet e nomine primae literae alphabeti) in poësi adhibetur pro בָּקָר. Item בְּהֵמוֹת שָׂדַי poëticum est pro חַיַּת הָאָרֶץ (הַשָּׂדֶה), sicut Ioel 2, 22., cfr. 1, 20. I S. 17, 44. שָׂדַי (in pausa שָׂדָי) forma poëtica est pro שָׂדֶה.

V. 9. Etiam צִפּוֹר שָׁמַיִם est modus dicendi magis electus pro עוֹף הַשָּׁמַיִם, ubi schamajim poëticae licentiae causa articulo caret.

1. Melius : gentes incultae et indomitae.

הַיָּם autem sine articulo nimis ieiunum esset. Eadem econtra ratione ac schamajim יַמִּים articulo caret. In fine commemorantur omnia animalia aquatica, quae perambulant semitas maris (ὑγρὰ κέλευθα Homer.). — Sequitur

Exclamatio finalis in

V. 10. Iehova Adonai, quam magnificum
Est nomen tuum in universa terra.

De qua s. Cyrillus Alex. : « Admirationem, inquit, repetit, denuoque idem proœmium in fine ponit, attonitus quod hominibus Deus innotuerit....., dilatatamque cernens per universum orbem Servatoris gloriam, propemodum exsilit. » M. S. gr. 69, 759-762.

Addimus nonnulla ex eis quae Cassiodorus habet in fine huius psalmi : « De duabus, inquit, naturis Domini Christi, et secundus psalmus, et iste locuti sunt : quamvis et alii subsequantur : id est, vigesimus, septuagesimus primus, octogesimus primus, centesimus primus, centesimus nonus, et centesimus tricesimus octavus ; ut obscurum iter huius saeculi gradientes, quasi plurimis lampadibus incensis, in haereticas cautes minime valeamus incidere..... Unde beatus Ambrosius hymnum *Natalis Domini* eloquentiae suae pulcherrimo flore compinxit (Tom. V, hymn. 24), ut pius sacerdos festivitati tantae dignum munus offerret. Ait enim : *Procedens* [1] *de thalamo suo, pudoris aula regia, geminae gigas substantiae, alacris ut currat viam* [2], et caetera quae supra humanum ingenium vir sanctus excoluit. » M. S. l. 70, 76-79. Oremus ergo cum B. Notkero :

Grates nunc omnes reddamus Domino Deo,
Qui sua nativitate nos liberavit
De diabolica potestate.
Huic oportet, ut canamus cum angelis semper :
Gloria in excelsis. — Königsfeld, Lat. Hymn. 4. Ges.

Pulcherrimum canticum in Nativitatem Domini compositum a S. Alphonso in dialecto neapolitana habes apud Schlosser, Die Kirche in ihren Liedern, T. 2. p. 376.

1. Videtur legendum esse : procedit, ut habet Alzog in Handbuch der Patrologie (Freiburg 1876) S. 530.

2. Addatur stropha 7ª : *Praesepe jam fulget tuum Lumenque nox spirat novum, Quod nulla nox interpolet Fideque jugi luceat.*

II. Ps. 2. CANTICUM IN RESURRECTIONEM DOMINI.

Ἔχετε ἐν ἑαυτοῖς ἅλα καὶ εἰρηνεύετε ἐν ἀλλήλοις.
Mr. 9, 59.

Quidquid dicant ii qui textum hebraicum s. scripturae pro corrupto habent, nos adhaeremus doctrinae Leonis XIII, dicentis : « Fieri quidem potest, ut quaedam librariis in codicibus describendis minus recte exciderint ; quod considerate iudicandum est, nec facile admittendum, nisi quibus locis rite sit demonstratum » (litt. encycl. de studiis scrip. s. edit. germ.-lat. Herd. p. 57-59), et Iudaei cuiusdam docti viri et clari nominis, coaevi nostri (Blau) : « Gegen dieses übermäs'ige Selbstvertrauen der Kritik, das sich in der biblischen Wissenschaft breit macht, mus', nachdrücklich betont werden, das ein Tropfen Ueberlieferung mehr wert ist als ein Tintenfas' Scharfsinn, u. ein Körnchen Wahrheit belehrender als ein Scheffel Muthmas'ungen. »

I. *Loci discrepantes.*

V. 1°. Duo verba fremuerunt et meditati sunt describunt ea quae David in visione iam quidem incepta, sed adhuc perdurantia videt, et propterea pro nobis sunt praesentia.

V. 2°. Valent etiam de verbis astiterunt et convenerunt ea quae diximus de duobus verbis versus praecedentis. — Insuper נוֹסְדוּ hic est : consilium inire, non convenire.

V. 3°. Vulgata vertit עֲבֹתֵימוֹ iugum ipsorum secundum exemplum LXX, quod tamen funes eorum significat, prout ipsa Vulgata hoc verbum interpretatur Iudic. 15, 13. 14. 16, 11 et alibi.

V. 4°. In hebraico textu nihil invenitur pro et Vulgatae inter eos et Dominus.

V. 6°. Pro illo Vulgatae : Ego autem constitutus sum rex ab eo — habetur hebraice tantum וַאֲנִי נָסַכְתִּי מַלְכִּי quod vertendum est : Attamen ego constitui regem meum, nam נָסַכְתִּי habet sensum activum, sicut נָסַךְ. Isai. 44, 10. Constitutus sum esset נִסַּכְתִּי ut Prov. 8, 23. — Porro הַר־קָדְשִׁי non est : montem sanctum eius, sed :

montem sanctum meum. Denique post haec verba ponendum est punctum, cum verba quae sequuntur sint Filii Dei, praecedentia autem Patris aeterni.

V. 7°. אֲסַפְּרָה אֶל־חֹק non vertatur cum Vulgata : praedicans praeceptum eius, sed cum P. Emmanuele[1] : Enarrabo decretum, vel cum Sante Pagnino : Narrabo ipsum decretum quod Jehova dixit ad me etc.[2]. Ista constructio סִפֵּר cum אֶל utpote longior, decretum annuntiandum solemnissimum esse innuit.

V. 9. תְּרֹעֵם non significat : reges, sed : conteres vel confringes eos, pro reges eos dicitur תִּרְעֵם.

In eodem versu occurrit ante tanquam et, pro quo nihil adest in hebraico.

V. 12. נַשְּׁקוּ־בַר in versu duodecimo non significat : apprehendite disciplinam, ut habet Vulgata secundum ἐπιλάβεσθε παιδείας LXX, sed : osculamini Filium, ut habent Santes Pagninus, P. Emmanuel, Tremellius[3] et alii. Sic. ex. g. habet Mezler :

« Moribus utimini castis, date cernua regi
Oscula, qui meretur Filius esse Dei[4]. »

In eodem versu habet Vulgata post ne — quando, pro quo nihil reperitur in hebraeo.

Item habet Vulgata in eodem versu post irascatur — Dominus, pro quo nihil legitur in hebraeo.

Item habet Vulgata in fine eiusdem versus iusta, quod vacat in hebraeo.

V. 13. Non probari potest coniunctio cum pro כִּי in initio versus tertii decimi secundum divisionem Vulgatae, est potius nam.

כִּמְעַט in eodem versu non tempus significat et propterea non recte in Vulgata : in brevi versum est, sed facilitatem qua Pater coelestis exardescere posset, si homines praecipue principes non osculantur Filium sicut Gen. 26, 10. II, Sam. 19, 37. I. Paralip. 16, 19 et alibi, et propterea verti deberet : Revera facile. — Initium

1. Videsis Les Psaumes etc. A Mesnil-Saint-Loup.

2. Consulatur Liber Psalmorum hebraice cum versione latina Santis Pagnini. Basileae 1726. Versionem hanc approbatam dicit ab Alexandro VI et Clemente VII clarissimus Derossi in opusculo : De praecipuis Causis et momentis neglectae a nonnullis hebraicarum litterarum disciplinae (Augustae Taurinorum 1769), p. 31.

3. Testamentum Vetus ab Im. Tremellio et Fr. Junio ex hebraeo latine redditum. Amstelodami 1651.

4. Paraphrasis poëtica Psalmorum auctore Thoma Mezlero, O. S. B., monacho Zwifaltensi. Friburgi Brisgoviae 1651.

ergo huius versus verti posset : nam exardescere posset revera facile ira eius.

II

Hic psalmus compositus est a Davide, ut expresse dicitur Act. 4, 25., et est mere messianico — propheticus neque ullo modo ad Davidis historiam refertur. Propterea versio syriaca illum inscribit : « De vocatione gentium. Innuit prophetiam de passione Christi. » Et versio araba : « Davidis Prophetia de Christo Domino et vocatione gentium. » Et scripsit s. Hieronymus : « Audacis est hunc psalmum interpretari velle post Petrum; immo de eo aliud sentire quam in Actis Apostolorum dixerit Petrus[1]. » Et Bellarminus : « Omnino errare videntur, qui ad litteram de Davide hunc psalmum explicare nituntur[2]. » Imo haec sententia erat antiquorum Judaeorum[3] et sanctorum Patrum, quibus assentit s. Alphonsus Maria de Liguori[4].

At quamvis s. Petrus Act. 4, 25 primum versum huius psalmi de persecutoribus Christi tempore passionis eius interpretetur, nihilominus etiam de persecutione Ecclesiae usque ad finem saeculi valet, hac illud non excludente, cum Christus, teste Paulo Ephes. 5, 23, caput sit Ecclesiae, et Ecclesia, teste eodem Coloss. 1, 24., corpus Christi. Quapropter et Christus, alloquens de coelo Saulum persequentem Ecclesiam, dixit : « Saule, Saule, quid me persequeris. » Act. 9, 4. Propterea bene Eusebius Pamphili, psalmum hunc de persecutione Ecclesiae interpretans, scripsit : « Semper persecutio est, semper invisibile bellum habetur, semper

1. Morin, Anecdota Maredsolana, vol. 3, p. 1 et 6.

2. Roberti Bellarmini in omnes psalmos dilucida explanatio. Venetiis 1614. Dedicatum est opus Papae Paulo V.

3. Apponenda duximus in nota verba D. Pick in periodico « Hebraica » dicto II, 130. Sic adnotavit ad pedem praedictae paginae : « Not only the ancient Synagogue, but also the rabbis of the middle ages interpreted the second Psalm of the Messiah. Thus Raschi († 1105) said : " Our rabbis have explained this psalm with respect to King Messiah ". David Kimchi († about 1210) says : " Some interpret this psalm of Gog and Magog, and the Messiah is the King Messiah ; thusour forefathers have explained this psalm.. The Christians interpret it of Jesus, and for this they refer to The Lord hath said unto me, Thou art my son ". Aben Erza († 1167), who gives a double interpretation, applying either to David or to the Messiah, evidently prefers the Messianic application, and says, " but if it be interpreted of the Messiah, the matter is much clearer ". »

4. Œuvres complètes (Paris 1835), t. 13, p. 25. S. Alphons. opus suum super Psalmos dedicavit Papae Clementi XIV.

coronae, semper abnegatio [1]. » Et D. Latomus sic argumentmu secundi psalmi inscribit :

« Foedera praedicit recutitae immitia gentis,
Quae licet in Christi pacta fuere caput,
Non minus ille tamen toto dominabitur orbe,
Et geret haud ulla sceptra caduca die [2].
Quam sententiam etiam tenet Hengstenberg [3]. »

Quum autem hic psalmus victoriam canat Matris Ecclesiae de malis propriis filiis, ut patet e versu 3°, supplementum est Apocalypsis, celebrantis victoriam Ecclesiae de gentilitate.

Quibus perpensis argumentum psalmi sic enunciari potest : Seditionem gentium earumque regum fractum iri regno invicto atque universali a Deo Patre Filio tradito. Magna consolatio nostris praesertim temporibus pro Christianis. Sufficit hic psalmus ad confutandos incredulos et confundendos politicos.

Finis psalmi est movere omnes homines, praecipue principes christianos, ut Messiae et eius Ecclesiae adhaereant, si prosperi esse velint. Quapropter huius psalmi meditatio praecipue principibus eorumque ministris commendanda est.

Quatuor constat hic psalmus strophis, quarum prima, tertia et quarta septenos, secunda sex versus comprehendit. In prima v. 1-3 David describit seditionem populorum et regum contra Jehovam eiusque Messiam, in secunda v. 4-6 despectum quem habet Pater coelestis pro illis seditiosis eiusque terribilem ad illos vocem in die iudicii, in tertia v. 7-9 Filium Dei annuntiantem decretum Patris aeterni de seipso, in quarta v. 10-12 (Vulg. 13) admonet reges ut Filium osculentur. Psalmus ergo hic dramatice, ut dicunt, compositus est. Primae strophae scena est terra, secundae et tertiae coelum, quartae sacer prophetae thalamus.

III

Stropha prima. David visione de Messia et Ecclesia raptus abrupto initio lectorem medias in conspirationes contra Deum eiusque sanctam Ecclesiam sistit, exclamans :

1. Maxima Bibliotheca IV, 45.
2. Davidis psalmi omnes in carmen conversi per D. Jacobum Latomum, canonicum Lovaniensem. Antverpiae 1587.
3. Commentar über die Psalmen (Berlin 1849) ad h. l.

Quid tumultuantur insano cum strepitu gentes
Et nationes aestuant inania ?
Consurgunt in arma reges terrae,
Principes in foedera coëunt
Contra Jehovam et quem ipse unxit regem.
Vincula eorum rumpamus,
Abiiciamus a nobis eorum funes [1].

V. 1. לָמָּה cum sequente praeterito quaerit causam tam iniuste facti, et cum sequente futuro finem tam frustra faciendi. רִיק inania est accusativus ut 4, 3. הָגָה hic de dolo adhibitum est ut 37, 13. Proprie significat emissionem sonitus semiinterni et semiexterni factam sive gutture (115, 7), sive palato (Prov. 8, 7), sive lingua (35, 28), sive ab homine, sive a columba, sive a leone. Bene hic exclamare possumus cum s. Columbano :

Optimus est animus Christi vestitus amore [2],

et dicere cum s. Augustino : In malis murmurat omnis terra, in bonis iubilat omnis terra [3].

V. 2. Futurum יִתְיַצְּבוּ gradum componere sicut I. Sam. 17, 16., pro nobis est praesens, perfectum נוֹסְדוּ designat quod futurum illud praecedit. נוֹסַד Niphal a סוּד sedere cum יָחַד proprie sedere simul, et in sensu translato consulere, consilium capere, ut 31, 14 et נוֹעַץ 71, 18. מַלְכֵי־אֶרֶץ et רוֹזְנִים (forsitan frenantes) poëtici styli causa articulo carent. Populi regibus et principibus seducti contra Jehovam et Christum eius [4] quem oleo sancto unxit sibique arctissime coniunxit, conspirant [5]. Propositum eorum

Versu 3° propheta audit. Dicunt : Proiiciamus a nobis leges Jehovae ac Messiae. Patheticum suffixum emo vice ehem ad Jehovam et Messiam eius se refert. Duo cohortativa נְנַתְּקָה et נַשְׁלִיכָה mutuam cohortationem exprimunt. Odio occulto minisque apertis sonus et rhythmus cohortationis respondent. Optime

1. Apud Rosenmüller, scholia in V. Test.
2. Migne 80. 287.
3. Ad. ps. 100 (99).
4. De Messia bene adnotavit Julius Firmius Maternus († c. 348) ad h. l. : « Regnum perpetuum et cœli diadema Domino Nostro cum unguenti maiestate collatum est. » Max. Bibl. IV, 173-174.
5. Bene s. Alphons. verba : Adversus Dominum et adversus Christum eius sic commentatur : « Inimici persequentes Jesum Christum, etiam contra Deum bellum gerunt, nam Messias miraculis quae operatus est, se Filium Dei esse probavit. »

s. Alphons. ad hunc versum contra plures antiquos Patres adnotavit: « Haec verba David inimicis Dei et Christi applicat. » Sed patet ex eorum verbis, eos esse in ditione Christi. Cfr. Luc. 19, 14. At nihilominus haec verba etiam tribui possunt Pilato et Herodi, ut fit in Actibus Apostolorum, qui agebant nomine Judaeorum. Seditiosi ergo primo volunt rumpere vincula, murmurantes de oppressione, tum a se proiicere funes, laetantes de liberatione.

Ad illustrandam hanc stropham et denique totius psalmi argumentum praecipue facit pugna Henrici IV. contra Gregorium VII., Friderici I. contra Alexandrum III. et Napoleonis contra Pium VII. Quantum autem contribuere possit ad publicam salutem concordia inter Sacerdotium et Imperium, monstrat historia Imperatoris Marciani et s. Imperatricis Pulcheriae et s. Leonis Magni, Caroli M. et Leonis III., Clodovaei et s. Remigii, Ottonis III. et Sylvestri II. s. Leopoldi et Innocentii II., S. Dunstani et s. Edgari. Videas quoque Montalembert, Les Moines d'Occident, t. 4, p. 234.

In secunda stropha videt propheta Jehovam elevatum super hanc scenam bellici furoris et superbae atrocitatis, verbaque minantia audit quae Jehova ad furentes hostes loquitur.

Qui in coelis habitat, ridet eos,
Subsannat eos Dominus.
Tum vero iratus eos compellabit,
Indignabundus perturbabit:
Ipse ego unxi regem meum
In Sionem, montem mihi sacrum.

V. 4. Quantumvis hostes Jehovae furant, nihilominus ad eum non pertingunt, nam est יוֹשֵׁב בַּשָּׁמַיִם habitans in coelis qui tantum distant a terra, et est אֲדֹנָי id est summo imperio praeditus super universas creaturas earumque actus quos ad finem a se praefinitum dirigit, quin aliquis hoc impedire possit. Quatuor futura in hoc et sequente versu exprimunt, quanta securitate Deus atroces hostes suos in hac infima terra positos respiciat. לָמוֹ etiam ad יִשְׂחָק (a שָׂחַק = צָחַק magis in usu in libris Thora iunioribus) pertinet, ut patet e 59, 9 et 37, 13. Jehova irridet hostes suos, quia infinite distat ab eorum moliminibus, despicit eos quoque, nam tantum crescere permittit insaniam eorum, usquedum ea ipsa capiantur. Propterea bene s. Hieron. ad h. l. adnotavit : « Non quod ille quemquam derideat, sed quod nos derisu digna faciamus. » Apud Calmet.

Terminum longanimitatis divinae psalmista

Versu 5° voce אָז sicut Deut. 29, 19 (cfr. שָׁמַּ 4, 2. 36, 13) exprimit, quae praecisior est quam aliquando et abruptior quam deinde, significans momentum quo ira Dei contra hostes suos exardescet. Tunc, scil. tempore iudicii tum particularis tum universalis — τότε, τότε εἰς τὸν καιρὸν τῆς κρίσεως ἀναφέρεται· [1] — tunc eos consternet, conteret, fugabit. Prima pars versus est sicut tonitru rotans, בַּחֲרוֹנוֹ sicut fulgur percutiens.

V. 6. Sicut prima stropha seditiosorum sermone finivit, sic haec Jehovae ipsius verbis clauditur. Sensus est : Vos insurgitis contra me et Messiam, ego autem ipse constitui eum regem super Sion, id est super Ecclesiam. « Est spiritalis Sion Ecclesia, in qua a Deo Patre rex constitutus est Christus : quae est in toto orbe terrarum : in quo est una Ecclesia catholica. » S. Optat. Max. Bibl. IV, 352. Etiam Bossuet haec verba attribuit Deo Patri [2], cfr. ps. 110, 2. Isai. 2, 3. Mich. 4, 1 etc.

In stropha tertia annuntiat Filius decretum Patris aeterni de seipso.

Jehovae dictum promulgabo :

Tu, inquit, Filius mihi es,
Ego hodie Te genui.

Roga, et gentes Tibi dabo possessionem,
Terrae fines peculium.

Ferreo baculo eos conteres,
Ut vasa figulina contundes.

V. 7. De constructione סִפֵּר cum אֶל iam in locis discrepantibus locuti sumus. Securus et absque timore Messias hostibus suis decretum חקק (חָקַק insculpere) Altissimi manifestat quod iam immutari non potest. Decretum in eo consistit, quod Messias est Filius Dei, genitus et natus a Patre. Verbum יָלַד (hic יָלַד mutato Patach in Zere, sicut in יָרֵשׁ) et generationem a Patre et partum e matre exprimere potest, sicut γεννᾶν : hic de actibus divinis congruentibus digne intelligendum est. Hic textus iam a s. Paulo Hebr. 1, 5 et 5, 5 ad probandam generationem aeternam Filii e Patre citatur, Act. autem

1. St. Athanas. op. Paris. 1698, t. 1, p. 2. p. 1242.
2. Œuvres complètes, éd. Lachat, t. 1, p. 67.

13, 33 idem Apostolus hunc textum resurrectione Christi adimpletum esse asserit quod et innuit ad Rom. 1, 4. Ex quo concludimus, neque illos Patres plenam veritatem assecutos esse qui ipsum tantum de generatione aeterna interpretantur, neque illos qui eum tantum de glorificatione Jesu intelligunt, sed in eo inveniri comparationem abbreviatam, sicut non raro in s. scriptura, hoc sensu : Sicut ego te genui ab aeternitate ex mea essentia, sic te resuscitans ex mortuis etiam quoad naturam tuam humanam te genui [1] in Filium meum, illam immortalem faciens et glorificans, cfr. Philipp. 2, 6-11 Joh. 7, 5., quam tu assumptam cum persona tua divina univeras, non autem miscueras, manens quod eras ab aeterno. Hoc versu ergo damnantur et Ariani et Nestoriani et Eutychiani et Monothelitae et Adoptiani. Hodie igitur ad diem resurrectionis referendum est, prout dicit s. Hilarius scribens : « Id quod in psalmo est : Filius meus es tu, ego hodie genui te, non ad Virginis partum, neque ad lavacri generationem, sed ad primogenitum ex mortuis pertinere Apostolica auctoritas est [2].» Propterea quia Christus est Filius Dei, ei competit regnum mundi vel dominatio universalis, si illam cupit, ut dicitur

Versu octavo. Tῷ שְׁאַל succedit futurum paragogicum, ut usus est in apodosi imperativi. Pater destinavit Filio suo regnum mundi eique illud dare semper paratus est quandocunque Filius illud desiderare significat. Propterea s. Alphons. sic Patrem coelestem ad Filium loquentem introducit : « Quum tu natura sis Filius meus, aequum est, ut imperium exerceas super omnes populos et super omnem terram. » Filium autem illud imperium velle, patet ex ostensione decreti Patris [3]. Quod decretum etiam continet verba illa

1. Christus ipse Matth. 19, 28 resurrectionem generationem vocat. Cfr. insuper dictum : primogenitus ex mortuis Coloss. 1, 18 et primogenitus mortuorum Apoc. 1, 5 de Christo resuscitato, et : ὁρισθέντος υἱοῦ θεοῦ ... ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν Rom. 1, 4. Cfr. insuper I. Petr. 1, 3. 2, 3.

2. Etiam antiqua synagoga haec verba fere eodem modo ac Hilarius intelligebat. Sic enim legimus in Midrasch Tillim, fol. 3, col. 4 : « When the time of the advent of Messiah will be near, then the blessed God will say to him : with him I will make a new convenant. And this is the time when he will acknowledge him as his son, saying " This day have I begotten thee ". » Hebraica ut supra.

3. Placet huc apponere notam super שְׁאַל ex « Hebraica », ut supra. « Rabbi Ionathan said, there are three who used to word " ask " (שְׁאַל), viz., Salomon, Ahaz and the King Messiah, Solomon, for it is written " In Gibeon the Lord appeared to Salomon in a dream by night, and God said : Ask what I shall give thee " (I Kgs. III., 5). Ahaz, for it is written : "Ask thee a sign of the Lord thy God " (Isa. VII, 11). King Messiah, for it is written : " Ask of me ", etc, — Bereshith Rabba, sec. 44 .»

formidabilia pro hostibus Christi, qui eius imperio se submittere nolunt, quae sequuntur

Versu nono. תִּרְעֵם sicut iam diximus, non significat : reges vel pasces, sed conteres vel confringes eos, quod melius convenit orationi minaci et virgae ferreae, qua Christus hostes suos, qui sunt velut lutea vasa (cfr. Jer. 19, 11), in frusta contundet. Virga ferrea autem Messias hostes suos et puniet et subiectos tenebit. Haec verba de imperio sanctorum occurrunt Apoc. 2, 27 et de imperio Christi ibid. 12, 5 et 19, 15., quibus in locis tamen s. Johannes ποιμαινειν pro תִּרְעֵם posuit, sic innuendo, Christum et Sanctos desiderare, ut peccatores convertantur et vivant.

Bene s. Fr. Salesius utitur vv. 7-9 ad probandum Ecclesiam catholicam esse visibilem et universalem [1]. S. autem Optatus ex illis probaverat universalitatem et unitatem Ecclesiae, dicens : « Tota est donata terra cum gentibus totius orbis, Christo una possessio est [2]. »

Stropha quarta. Ex praecedentibus Propheta infert :

> Ergo sapite, reges,
> Disciplinam, principes, admittite !
> Colite Jehovam reverenter,
> Trepidi eum vereamini !
> Agite, tanto Nato venerationis osculum figite,
> Ne si irascetur, res vestra pessundetur.
> Etenim ira eius leve exardescet,
> Felices sunt omnes qui ad eum confugiunt !

V. 10. וְעַתָּה καὶ νῦν (I. Joh. 2, 28) itaque, forma illationis, sicut Prov. 5, 7 et Jer. 28, 22. Admonitionem non ad turbam seditiosorum, sed ob res magnas et graves quas vidit et audivit, poëta ad omnes principes terrae dirigit. שֹׁפְטֵי אֶרֶץ ergo sunt iudices ubique terrarum constituti. Iidem autem sunt reges et iudices terrae. Quam ob causam bene dicit s. Alphons. : « Vos igitur reges, qui estis iudices terrae, intelligite quid sit vestrum officium, et illud bene adimplere satagite. » Hiphil הַשְׂכִּילוּ significat intellectum acquirere vel ostendere ; Niphal נִוָּסַר ut Niphal tolerativum : se castigari vel corrigi permittere, sicut נוֹעַץ Prov. 13, 10 permittere ut sibi consilium

1. Œuvres édit. Vivès V. 375 etc.

2. Max. Bibl. IV, 346. — De explicatione huius versus, imo totius psalmi, apud Iudaeos (Kimchi) videas in Cahen, La Bible (Paris 1846), t. 13, p. 4-5.

detur, נִדְרָשׁ se quaeri permittere. Conferatur quoad rem Sap. c. 1 et c. 6. Hanc generalem admonitionem specialis sequitur

Versu 11° quae respicit Jehovam, versu 12° autem alia quae respicit Filium. Admonentur ergo reges, ut serviant Domino in timore et exultent ei cum tremore, id est gaudeant de felicitate quod tanto Domino et Deo servire possunt, at ne laetitia in carnalem licentiam degeneret, gaudium illud cum reverentia erga Deum misceant. Cfr. Hebr. 12, 28. « Sancti viri sic de spe certi sunt, ut tamen semper sint de tentatione suspecti. » S. Greg. M. in Job. l. 20.

V. 12. Admonitio respiciens Filium, breviter magna edicens, clarissimis composita est verbis, et tamen a nullo inter veteres interpretes praeterquam a Syro et Chaldaeo recte versa est. Nam ac si claritate eius obfuscati a veritate declinassent pro בַּר legebant בֹּר et παιδεία (LXX) vel disciplina (Vulg.) vertebant, vel accipiebant בַּר pro adverbio et pure vertebant (Aq. Symm. Hieron.). Melior autem quam versio est adnotatio s. Hier. in hunc locum. « Pro eo, inquit, quod in graeco dicitur ἁράξασθε παιδείας in hebraeo legitur Nescu Bar, quod interpretari potest : adorate Filium. Apertissima itaque de Christo prophetia, et ordo praecepti : adorate Filium, ne forte irascatur Dominus hoc est, Pater [1]. » Piel נַשֵּׁק tantum osculari significat, habet autem hic sensum adorationis. Mirandum autem non est, quod filius Dei κατ' ἐξ, designatur hic voce בַּר (Prov. 31, 2 occurrit בְּרִי), alias rara et tantum in stylo sublimi usurpata, cum antea tam praeclara de eo dicta sint. Defectus autem articuli hoc in loco ad amplificandum servit, sicut saepe in hebraeo et arabo, ita ut sensus sit : Osculamini Filium, et qualem Filium. Subiectum autem ad יֶאֱנַף est Pater, ut adnotavit s. Hier. et prout sequitur e stropha secunda.

Quae sequuntur וְתֹאבְדוּ דֶּרֶךְ vertenda sunt : ne pereatis quoad viam, id est, ne viam ingrediamini quae ducit ad interitum [2].

1. Morin, ut supra.

2. Pulchra est nota ad " Kiss the son, lest he be angry " in Hebraica (ut p. 3, 7, 8), quam propterea huc transcribimus : " A king was angry with his subjects. They appeal to his son requesting him to intercede on their behalf before his father. When their wish was complied with, they sang songs of praise to the king. But he rebuked them, saying : Not unto me, but unto my son belongs your thankfulness for were it not for his sake, my wrath would have destroyed you. " — Midrash T., fol. 4, col. 2. — Nostris diebus commendandus extitit D. Carolus Lueger, magister civium (Bürgermeister) Vindobonensis, qui pietatem in Deum cum dexteritate in negotiis agendis coniungere sciebat († 10 Martii 1910).

Quae adhuc sequuntur in hebraeo cum hoc versu coniuncta sunt, in Vulgata autem

Versum 13 formant. Qui ergo reges Filium osculari detrectant, timeant, facillime enim contra eos ira Patris coelestis exardescere posset. Beati econtra sunt ii qui refugium suum in Dei Filio collocant, eum asylum suum, domum suam, faciunt. Hic est sensus verbi חָסָה cum בְּ Hic recolatur dictum s. Johan. 3, 16 : « Sic Deus dilexit mundum » etc. et dictum s. P. Benedicti : « Christo omnino nihil praeponant ». S. Reg. c. 72.

Jam diximus, psalmum hunc allegari in Actibus Apostolorum et et in epistola ad Hebraeos. Sed insuper etiam nomina ὁ Χριστός, et ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ Joh. 1, 50 in ore Nathanaëlis et Matth. 26, 63 in ore Summi Sacerdotis a hoc psalmo et a Dan. 9, 25 derivanda sunt. — Sancta Monica ora pro conversione rebellium filiorum Ecclesiae!

III. PS. 110 (109). CANTICUM IN ASCENSIONEM DOMINI.

Optime dicit Leo XIII, in litteris encyclicis de studiis s. scripturae : « Gratum est illud pro merito comprobare nonnullorum catholicorum consilium, qui ut viris doctioribus suppetere possit unde huiusmodi (sacrae scripturae) studia omni adiumentorum copia pertractent et provehant, coactis societatibus, largiter pecunias solent conferre. Optima sane et peropportuna temporibus pecuniae collocandae ratio. Quo enim catholicis minus praesidii in sua studia sperare licet publice, eo promptiorem effusioremque patere decet privatorum liberalitatem ; ut quibus a Deo aucti sunt divitiis, eas ad tutandum revelatae ipsius doctrinae thesaurum velint convertere[1]. » Nobis tam benefici homines sicut ii de quibus loquitur Summus Pontifex, omnino nulli innotuerunt. Nos communi indigentiae succurrere cupientes, nos accingimus ad explanandum psalmum 110 (109), ponentes primo locos discrepantes inter textum masorethicum et latinum Vulgatae, dein commentarium.

I

V. 1. נְאֻם יְהוָה ad literam non est : Dixit Dominus, sed : Dictum Domini (Iehovae). Verbum infinitum in tantum melius huc facit quam finitum, in quantum continuam repetitionem exprimit.

Item לִימִינִי ad literam non significat : a dextris meis, sed : ad dexteram meam.

Versus 3[us] secundum punctationem masorethicam sic verti debet : Populus tuus (עַמְּךָ populus tuus, עִמְּךָ vel עִמָּךְ tecum) voluntarietates (spontaneitates, oblationes voluntariae[2]) in die exercitus tui in vestibus sanctitatis : ex utero diluculi tibi ros iuventutis tuae.

חַיִל quidem etiam est virtus, sed iam Num. 31, 14 sensu exercitus obvenit, quem sensum etiam habet II Paralip. 26, 13 secundo (in Vulg. omissum) et Dan. 3, 20. Hic autem de bello sermo est, ut patet e versibus 1, 2, 5, 6. Propterea חיל hic in contextu etiam expeditio bellica verti potest.

1. Ed. Herderiana germanico-latina p. 65.

2. LXX legentes נְדָבָה verterunt ἀρχή, ex quo fluxit principium Vulgatae.

הֲדְרֵי־קֹדֶשׁ sunt vestes sacrae, sicut II Paralip. 20, 21 cantores e genere Levitarum. לְהַדְרַת קֹדֶשׁ in ornatu sancto, ante exercitum incedunt, et 96 (95), 7 familiae populorum invitantur ad laudandum Deum בְּהַדְרַת קֹדֶשׁ in ornatu sancto. Hic de sacerdotibus Novi Testamenti sermo est.

מִשְׁחָר aurora, diluculum, tantum hic occurrit, et non est compositum, sed unum verbum, et se habet ad שַׁחַר, sicut מִחֶשְׁכָּ ad חֶשֶׁךְ, מִקָּצָה ad קָצֶה, מִעָצָה ad עֵצָה [1], et significat, ut ita dicam, cumulum vel fascem aurorae circumscriptum. Ante luciferum Vulgatae et πρὸ ἑωσφόρου LXX versio est formae מִשְׁחָר. Item genui te ἐγέννησά σε LXX versio est formae יְלִדְתִּיךָ Ps. 2, 7., quod quidem defective etiam sine Iod post Tav scribi posset, sicut יְלִדְתִּיךָ. Sed cur Vulgata non vertit לְךָ טַל, quod etiam in Hexaplis Origenis invenitur? — Consulatur opusculum : Textus originalis psalmi 109, 3*b*, auctore Weikert, ubi tamen pag. 5. מִשְׁחָר falso ab aurora versum est. Dolendum est quod prima antiphona in secundis Vesperis Nativitatis Dñi sumpta est e falsa versione huius versus, qua non modico confirmatur.

V. 5. עַל־יְמִינְךָ ad litteram non est : a dextris tuis, sed : ad dexteram tuam.

V. 6. מָלֵא גְוִיּוֹת non est : implebit ruinas, sed : plenum fuit cadaverum, cum מָלֵא sit impersonale, גְוִיּוֹת autem accusativus respectus. רֹאשׁ עַל־אֶרֶץ רַבָּה certe non est : capita in terra multorum vel κεφαλὰς ἐπὶ γῆς πολλῶν, sed videtur esse : caput super terram Rabbah, id est, Ammonitarum, sic nominatam ab urbe רַבָּה vel רַבַּת בְּנֵי עַמּוֹן Deut. 3, 11. Ios. 13, 25.

Sic propositis locis discrepantibus, pergamus ad explicationem.

II

Hac in parte : 1° discutiemus quaestiones generales circa hunc psalmum ; 2° exhibebimus eiusdem schema latine ; 3° dabimus explicationem continuam contextus.

1° Quaestiones generales circa hunc psalmum.

Auctorem psalmi huius esse Davidem, testatur : 1° inscriptio eiusdem in bibliis tum hebraicis, tum graecis, tum latinis. — 2° Ipse D. N. Iesus Christus Matth. 22, 43-45. Marc. 12, 36-37.

1. In Daniele c. 1, v. 2. et 15. מִקְצַת forma irregularis est et significat : a fine, in v. 18, autem Mem ad substantivum pertinet.

Luc. 20, 42-44. [1], interrogans inimicos suos, quomodo Messias et Dominus et Filius esse posset Davidis, ad quod nemo respondere potuit. — 3° S. Petrus Act. 2, 34.

David autem hoc celeberrimum carmen cecinit non ut propheta « de corde proprio » (Ez. 13, 2. 17), sed ut verus propheta (Act. 2, 30) « ἐν πνεύματι » (Matth. 22, 43), « ἐν τῷ πνεύματι τῷ ἁγίῳ » (Marc. 12, 36), teste Iesu Christo ipso, celebrans gloriam Filii et Domini sui, id est, Messiae. Tantam laudem sicut hic psalmus nullus alius meruit ex omnibus qui sunt ἐν βίβλῳ ψαλμῶν (Luc. 20, 42. Act. 1, 20).

Occasionem externam hunc psalmum canendi praebuit Davidi vel capta Rabbath, urbs Ammonitarum (II Sam. c. 12), ut suspicari licet e v. 6°, anno c. 1033° ante Chr., vel translatio arcae foederis in montem Sion (II Sam. 7, 2) anno c. 1042° ante Chr., ut forsitan inferre licet e versu 1°. Pro certissimo tenendum est, psalmum esse mere messianicum.

De loco huius psalmi in psalterio optime adnotavit Theodoretus Cyrensis : « Cum in proximo ante hunc psalmum salutarem passionem praedixisset (David), praedicit nunc Salvatoris assumptionem, quae post passionem facta est. Meminit autem exordii huius psalmi divinissimus Petrus in Actibus. Dicit autem sic : « Non enim David ascendit in coelos ; dicit autem ipse : Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis » etc. Migne S. gr. 80, 1766.

Argumentum psalmi ita enunciari potest : Sacrum et victoriosum bellum Dei cum Christi hostibus describitur.

Finis psalmi est laetificare lectorem de gloria Christi eumque promptum reddere ad praelianda praelia Dei simulque cautum prae hostibus Christi.

Quibus absolutis, exhibemus

2° Schema psalmi latine.

I

V. 1. Dictum Iehovae ad Dominum meum (Adoni) :
Sede ad dexteram meam
Donec ponam inimicos tuos.
Scabellum pedum tuorum [2].

1. Videsis opus nostrum : Das h. Evang. nach Markus (Münster in Westf. 1894) pag. 373-376.

2. Vel : pedibus tuis, cum ל ad exprimendum tum genitivum tum dativum inserviat.

V. 2. Virgam virtutis tuae
Emittet Iehova e Zion :
Dominare in medio inimicorum tuorum.

II

V. 3. Populus tuus totus spontaneitas [1] erit [2] in die expeditionis [3] tuae bellicae

In vestibus sanctitatis :
Ex utero diluculi
Descendet [4] tibi ros iuventutis tuae [4] .
V. 4. Iuravit Iehova et non poenitebit eum :
Tu es sacerdos in aeternum
Secundum ordinem Melchisedech.

III

V. 5. Dominus (Adonai) ad dexteram tuam
Confregit (confringet) in die irae suae reges.
V. 6. Iudicabit in nationibus,
Plenum erat (erit) cadaverum :
Conquassavit (-bit) caput super terram Rabbah,
V. 7. Quod tamen de torrente in via bibet
Et propterea exaltabit caput.

Discrepantiae inter textum Vulgatae et graecum LXX nullius momenti sunt.

Hunc psalmum s. Augustinus vocat « brevem numero verborum, magnum pondere sententiarum ». Migne S. l. 37, 1445. Et s. Chrysostomus, omnes haereses de Christi persona hoc psalmo refelli dicit, eumque hoc sensu exponit apud Migne S. gr. 52, 262-279. S. Bruno Astensis : « In hoc, inquit, psalmo minor David loquitur de maiori David, quem Dominum suum esse dicit, et Patri aequalem esse ostendit. » M. S. l. 164, 1125. Videtur Cassiodoro « hic psalmus quidam sol fidei nostrae, speculum coelestis arcani,

1. Non inepte נְדָבֹת vertitur : totus spontaneitas.

2. Intelligentiae causa additum.

3. Videsis dicta pag. 72-73.

4. Vel : Descendet tibi ut ros iuventus tua ; vel : Rorabitur tibi iuventus tua. טַל est substantivum.

armarium sanctarum scripturarum, ubi totum summatim dicitur, quod utriusque testamenti praedicatione narratur ». Ibid. [1]. — Sequitur

3° explicatio continua contextus.

Constat psalmus, uti schemate expressimus, tribus strophis septenarum linearum, quae sensu in quaternas et ternas dividuntur, quo innuitur, bellum illud sacrum, de quo in psalmo agitur, esse opus trium personarum divinarum ad exequendum foedus Dei cum hominibus [2]. *Prima stropha agit de causis, secunda de exercitu, tertia de vicissitudinibus sacri belli.*

Prima stropha. Duplex est causa sacri belli, finalis, subiectio scil. inimicorum Christi, et initialis, initium praedicationis evangelii Christi. De prima agit Tetrastichon, de secunda Tristichon primae strophae. Illud continetur in 1., hoc in 2. versu Vulgatae.

V. 1. Primo ergo ponitur decretum Patris coelestis subiiciendi Filio suo omnes inimicos eius. Solemnissimum est hoc decretum et propterea solemnissima introducitur formula : נְאֻם ה׳, ut. Gen. 22, 16. Num. 14, 28. Isai. 1, 24. 3, 15 et saepe, Ier. 1, 8 et saepissime etc. Minus solemne est נְאֻם solum in initio orationis in ore Balaam Num. 24, 3. 15., Davidis II Sam. 23, 2., Agur Prov. 30, 1., scelesti Ps. 36 (35), 2. Hic autem de Patre coelesti agi et de Filio eius, patet e colloquio Iesu Christi cum adversariis suis in supracitatis locis evangeliorum synopticorum et ex absurditate יהוה et אֲדֹנִי ad alias personas referendi [3].

Non autem de Filio Dei simpliciter hic sermo est, sed de Filio Dei incarnato, uti etiam patet e colloquio Christi cum adversariis suis, ubi אֲדֹנָי et Dominus et Filius Davidis dicitur : Filius autem

1. Quocum consentit dictum s. Bartholomaei : Ap. καὶ πολλὴν τὴν θεολογίαν εἶναι καὶ ἐλαχίστην. Apud M. S. gr. 2, 784.

2. Qui negare vellet sensum symbolicum numerorum tum apud Israëlitas tum apud alios populos antiquitatis, omnino se expertem notitiae spiritus populorum antiquorum monstraret. De cetero praeclare de hac re scripsit Bähr in opere cui titulus est : Symbolik des Mosaischen Cultus.

3. De modo efferendi sacri tetragrammatonis sic scripsit König in : Die Theologie der Psalmen p. 131 Anmkg. : Das Wort kann nach der ihm eigentlich zukommenden Punctation lauten : יְהוִה, יַהוֹה, יְהוֹה, יְהִיה, יְהוֹה. Bekantlich liest man bei den Neuesten fast immer nur Iahve, die übrigen Formen sind aber ebenso zulässig ; es breinträchtigt überhaupt die Sache nicht, wenn man bei der herkömlichen Aussprache Iehova bleibt, die immerhin eine historische Berechtigung hat. Quod confirmatur a Chabot dicente, linguam hebraicam ante punctationem diversimodo elatam fuisse. Grammaire 1900, p. 9. Quod etiam de lingua germanica dici potest, cum quidam dicunt ex. gr. din, alii dein etc.

Dei uti coaeternus Patri est Dominus Davidis, uti genitus autem e stirpe Davidis est eius filius. Pronomen possessivum autem in אֲדֹנִי et veritatem et amorem exprimit. Vocabulum ergo Adon hic de Christo usurpatum et eius divinitatem, et eius humanitatem, et unicum Filium Dei et Mariae designat [1].

Decretum autem illud Christo subiiciendi omnes inimicos eius, Pater ei communicavit in die Ascensionis eius in coelum, testante Petro : « Οὐ γὰρ Δαυεὶδ ἀνέβη εἰς τοὺς οὐρανούς, λέγει δὲ αὐτός· Εἶπεν Κύριος τῷ Κυρίῳ μου· Κάθου ἐκ δεξιῶν μου, ἕως ἂν θῶ τοὺς ἐχθρούς σου ὑποπόδιον τῶν ποδῶν σου. » Act. 2, 34-35. Sessio autem ad dexteram hic non tantum est participatio honoris, sicut Bethsabee particeps facta est honoris regis Salomonis sedens ad dexteram eius III Reg. 2, 19., sed iuris et dominii, testante Paulo de Christo : « Δεῖ γὰρ αὐτὸν βασιλεύειν ἄχρι οὗ θῇ πάντας τοὺς ἐχθροὺς ὑπὸ τοὺς πόδας αὐτοῦ. » I Cor. 15, 25. Quod confirmatur Ps. 2, 8. 9., ubi etiam de Homine-Deo glorificato sermo est, et multis aliis scripturae locis. Propterea bene dicit s. Athanasius : « Dixit Pater ei qui me redemit pretioso sanguine suo : Sede a dextris meis, ut omnes noscant quoniam tu es gloria mea. » Migne S. gr. 27, 1146. Et Didymus Alexandrin. († 398) : « Εἰς οὐρανὸν ἀναληφθέντι τῷ Υἱῷ, Κυρίῳ ὄντι, εἶπεν ὁ Κύριος, « Κάθου » κτλ. Migne S. gr. 39, 1537. Quo sensu Ecclesia canit in Ascensione Domini :

Scandens tribunal dexterae
Patris, potestas omnium
Collata est Iesu coelitus,
Quae non erat humanitus.

Conferatur Matth. 26, 64., ubi Christus sessionem suam ad dexteram τῆς Δυνάμεως praedicit ; Marc. 16, 19., ubi eam init, et sextum articulum symboli apostolici : Sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis, cum eiusdem explicatione in Catechismo Romano.

Bene etiam Eusebius scribit : « Hoc dictum valde accuratum (ἀκριβῆ) et verum Salvator significat dicens : *Si ergo David in Spiritu vocat eum Dominum, quomodo Filius eius est ?* neque enim sine

1. Adon fere eiusdem sensus est ac Adonai : hoc enim significat patrem magnae domus creationis, illud cum articulo dominatorem mundi. Quocum forsitan comparandum est dictum Salvatoris : Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra Matth. 28, 18. Cum articulo semper de Deo usurpatur. Quo forsitan Salvator in praedicta disputatione usus est, ut inimicis sanctum timorem incuteret.

Spiritu Sancto poterat David haec proferre... Quomodo enim humanae cognitioni accidisset notitia communicationis quam Pater habet cum eo qui Dominus ipsius David dicitur? » Migne S. gr. 23, 1542. Et Theodoretus Cyrensis : « Manifeste ergo beatus David divinitatem Christi Domini praedicit. » M. S. gr. 80, 1767. — עַד sicut Os. 10, 12 pro עַד־כִּי vel עַד־אֲשֶׁר tempus ultra terminum non excludit, sed potius includit, ut patet e dicto de homine iusto ps. 112, 8., eum non commoveri donec despicere possit inimicos suos, quod certe postea adhuc minus eveniet, sed ita ut cum termino illo mutatio quaedam fiat. Quaenam mutatio autem de Christi dominatione fiet post universale iudicium, Paulus his verbis dicit : « Ὅταν δὲ ὑποταγῇ αὐτῷ (Christo) τὰ πάντα, τότε (καὶ) αὐτὸς ὁ υἱὸς ὑποταγήσεται τῷ ὑποτάξαντι αὐτῷ τὰ πάντα, ἵνα ᾖ ὁ θεὸς πάντα ἐν πᾶσιν. » I Cor. 15, 28. Si quis plura de hac re discere cupit, consulat Apoc. 21, 11. 23. 22, 1. 3. una cum explicatione versuum istorum in opere nostro super Apocalypsin, et librum 3. in opere de Amore Dei s. Fr. Salesii.

Memorantur hic pedes Christi, quibus irresistibiliter subiicientur inimici eius, prout dicit Apocalypsis 1, 15 : « Et pedes eius similes aurichalco in camino accensi. » Quod repetitur 2, 18. Capite autem 10, 2 dicitur Christus posuisse pedem dexterum super mare, scil. populorum, ad illud domandum. De quorum locorum sensu consulatur Apocalypsis nostra. Subiecti autem inimici non tantum amplius nocere non poterunt, sed plurimum ad augendam victoris gloriam conferent, uti patet e victoria Davidis de Goliath, Judithae de Holoferne, et e re ipsa. Propterea et stagnum sulphuris et ignis Apoc. 19, 20. 20, 10. 21, 14. 15 plurimum contribuet ad gloriam Christi et Electorum in secula seculorum. Nos autem precemur toto corde :

Recordare, Iesu pie,
Quod sum causa tuae viae :
Ne me perdas illa die.

Exhibita causa finali sacri belli, sacer poëta pergit loqui de causa initiali eiusdem belli, quae fuit initium praedicationis evangelicae, in

Versu 2°. Fundatio Ecclesiae describitur in Actibus Apostolorum cap. 2. Loquitur hic propheta verbis propriis, ut colligimus e phrasi : emittet Dominus. Sceptrum Messiae est doctrina eius [1], qua irresis-

1. Teste S. Athanasio : « Evangelicum dicit verbum, quod emissum inimicis omnibus dominatum est. » M. P. gr. 27, 462.

tibiliter subdet populos (Dan. 2, 44-45. 7, 13-14. 27 [1]), quod propterea sceptrum Deus Pater e Sion usque ad terminos terrae extendere dicitur [2]. Sequitur futurum prophetiae Imperativus exhortans Messiam, ut medios inter hostes (בְּקֶרֶב) introiens eos sibi subdat et subditos sibi teneat, quo illud pro certo futurum esse praedicitur [2]. Dicto sensu רְדֵה iam occurrit Ps. 72 (71), 8 et Num. 24, 19., ubi Messias ipse v. 17 שֵׁבֶט σκῆπτρον nuncupatur.

Certe nemo negare potest, hunc versum adimpletum esse et adhuc quotidie adimpleri, cum Christus per sacerdotes suos sibi subiugaverit et mundum Romanum, Angliam seculo 7°, Germaniam seculo 8°, denique mundum gentium, et adhuc dominetur medios inter hostes (ps. 2). Quod maximam fiduciam inspirare debet Ecclesiae et singulis fidelibus victoriae finalis. Longum esset hic narrare historiam praedicationis evangelicae in singulis terris mundi et transcribere librum Lactantii et eius continuatorum de morte persecutorum. Sufficiat attentum facere lectorem ad praeclarum opusculum, cui titulus est : Credo ou Refuge du chrétien dans les temps actuels, auctore Gaume. Magnifice etiam de hac re loquitur Tertullianus adversus Iudaeos cap. 7. Apud Migne S. l. 2, 648-651. Bene etiam dicit s. Beda : « Ecclesia quotidie gignit ecclesiam mundum in Christo regentem. » Ad Apocalyps. 12, 5. Et si pensamus, metropolin dominationis Christi esse Romam, quae fuit antiquitus caput regni mundi, adhuc multo splendidior victoria Christi et huius admirabilis psalmi vaticinium apparet. Illuc iam principes apostolorum Petrus et Paulus metropolin religionis revelatae a civitate Ierusalem transtulerunt, duce Deo illuc proficiscentes et ibi martyrium sumentes. Quae translatio, ut mihi videtur, argumentum est libri Actuum Apostolorum, qui in prima parte (c. 1-c. 12) adventum Petri, in secunda adventum Pauli Romam describit. Quibus argumento absoluto, narrationi finem imponit. Perfecta exhibitio dominationis Christi est temporum computandorum ratio sumpta a nativitate Christi, qua ut rex seculorum apparet, et olim fuit unctio regum, praecipue autem sacrum Imperium Romanum et acceptio Iuris canonici ubique terrarum. Initium Pandectarum Iustiniani

1. Consulatur opus nostrum : Daniel explicatus. Paderbornae 1895.

2. Bene scripsit de regno Christi S. Augustinus : « Non Rex Israel Christus ad exigendum tributum, vel exercitum ferro armandum, hostesque visibiliter debellandos : sed Rex Israel, *quod mentes regat*, quod in aeternum consulat, quod in regnum coelorum credentes, sperantes, amantesque perducat. » In Brev. Sabbato infra hebd. Passionis. Videas psalterium antiquo-germanicum Notkeri Balbuli († 1022), Genebrardi, Calmetii etc.

ponit totum Imperium Orientis sub dominationem Christi. Bene etiam docebat s. Anselmus principes dicens : Nihil amplius diligit Deus in hoc mundo quam Ecclesiae suae libertatem [1].

Sic indicatis causis sacri belli, accedit Vates ad *describendum exercitum sacri belli* in secunda stropha, et quidem 1° eiusdem milites in v. 3°, 2° eiusdem ducem in v. 4°.

V. 3. De militibus sacri belli quatuor praedicantur : 1° eos fore spontaneos, 2° in vestibus sanctis, 3° iuvenes, 4° similes rori coelesti.

1° Toto ergo tempore ab Ascensione Domini usque ad finale iudicium milites sacri belli se spontanee sistent (מִתְנַדֵּב Iud. 5, 2. 9.), sicut iam tempore Debborae, ita ut sint velut hostiae vel victimae, quae se Deo offerendas sisterent.

Quamvis hoc primo loco de sacerdotibus Christi dictum sit, ut patet e. v. 4°, tamen etiam omni populo christiano applicari potest : a) quia totus populus Dei iam Exod. 7, 4. 12, 17. 41 et postea in scriptura non raro exercitus vocatur. — b) quia populus Dei ob dignitatem et sanctitatem ad quam vocatus est, expresse dominatio sacerdotum, regale sacerdotium vel similiter nuncupatur Exod. 19, 6. Dan. 7, 27. I Petr. 2, 9. Apoc. 1, 6 etc. [2].

Ad hoc facit : 1. quod de Israëlitarum bellis, quae secundum voluntatem Dei gerebantur, dicebatur, praeparare se ad bellum, incedere in bello coram Domino לִפְנֵי יְהוָה Num. 32, 20. 21. — 2. quod arca Dei in illa bella ducebatur ; confer ut contrarium Num. 14, 44. — 3. quod Summus Sacerdos ipse, saltem interdum, cum sacris tubis (Num. 10, 9) ad illa proficiscebatur Num. 31, 6.

2° Verbis בְּהַדְרֵי־קֹדֶשׁ sacra indoles militum sacri belli denotatur, vestimenta enim non raro in scriptura ponuntur ad designandam indolem, uti ex. g. Cantic. 4, 11. Apoc. 3, 4. 6, 11. 7, 9 etc. Ad quod explicandum praecipue facit Ephes. 4, 23. 24.

1. Contra quam sententiam quot peccaverunt et peccant principes. Eo magis admiranda est moderatio Magni Constantini tempore Concilii Nicaeni et Sigismundi tempore Concilii Constantiensis. Dominatur autem adhuc semper Christus in medio inimicorum : 1° per sacerdotes suos, praecipue episcopos et Papam, 2° per sacram liturgiam, quae est maxima laetitia populorum, 3° per aedificia ecclesiarum, in eminentiis posita, uti illud Imocastri. Quamvis autem maius aliquid videri possit dominari in medio inimicorum, quam in medio amicorum, nihilominus rogemus Salvatorem, ut semper magis dominetur etiam in medio amicorum. Conferatur Giordano, Das eucharistische Leben. Das ewige Königtum Iesu Christi. Freiburg, Herder. Preis M. 1, 20.

2. De עַמִּי נָדִיב Cantic 6, 12 (11) videsis opus nostrum : Das Hohe Lied (Kempten 1889) p. 245 et 251-253.

3° ילדות hic non accipiendum est pro aetate iuvenili, sed pro iuventute, iuventa, sensu virorum fortium, ut vertunt Symmachus et Quinta. Quem sensum iuventus habet Judith 7, 2 et 15, 6., quique sensus obvius est. Conferatur praecipue 103 (102), 5. 92 (91), 15. Quo etiam vocatio divina militum Christi designatur. Libere secuti sunt apostoli vocantem Dominum. Nefas est aliquem ad statum clericalem cogere. Quae iuventus

4° Comparatur cum rore de cœlo cadente. Quae comparatio tribus ex causis optime convenit :

a) quia sicut ros matutinum totam refrigerat naturam, ita novi milites Christi novum animum addunt toti Ecclesiae. Quantum ex. g. Gregorius M. exaltavit auctoritatem Papae, quantum Gregorius VII ecclesiam purgavit et decoravit, quantas S. Philippus Nerius vitae Christianae noves addidit vires ! — b) quia interdum tam numerosi sunt ac guttae roris matutini II Sam. 17, 12 (cfr. Num. 23, 10). Quot ex. g. attraxerunt discipulos ordinum religiosorum fundatores ! — c) quia interdum tam inopinate emergunt in Ecclesia ac nobis abscondita est formatio roris matutini. Mich. 5, 6. Cfr. Isai. 26, 19. Ps. 141 (140), 7. 136 (135), 7. Quam inopinata fuit ex. g. vocatio Moysis, unctio Davidis, conversio Sauli. Quam admirabile mysterium incarnationis Dominicae [1] !

Placet huc apponere Secretam Missae de Spinea Corona Domini Nostri Iesu Christi, utpote cum materia quam tractamus convenientissimam : « Tuorum militum Rex omnipotens virtutem robora, ut quos in huius mortalitatis stadio unigeniti Filii tui Corona laetificat, consummato cursu certaminis, immortalitatis bravium apprehendant. Per eundem Dominum ». « Currendum et agendum est modo, quod in perpetuum nobis expediat. » S. P. Benedict. in prolog. s. Reg. [2].

1. Dolendum est, quod DD. Génébrard, Calmet, Schegg, Walter, Hoberg a falsa versione Vulgatae se liberare non poterant.

2. Versus tractatus sic sonat in paraphrasi chaldaica : *Populus tuus* domus Israel qui lubenter incumbit Legi, in die quo proelium commiseris, adiuvaberis cum eis ; in splendoribus sanctitatis misericordiae Dei ad te properabunt tanquam descensio *roris* ; sedebunt confidenter prosapiae tuae. Vid. Polyglott. Londin.

In versione syriaca autem sic : *Populus tuus* laudabilis in die roboris. *Cum nitoribus sanctitatis ex utero* ab antiquo te filium genui. — Ibid.

Ex Eusebio Caesar. Post positum versum LXX sic continuat : Aquila, *ab utero* diluculo excitato *tibi ros pueritiae tuae*. Symmachus, velut diluculo *tibi ros* iuventus tua. Quinta autem editio, *ex utero* diluculo *tibi ros iuventutis tuae*. Hisque videtur generationis eius carnalis oeconomiam significare... Pro illo autem ex ventre sive ex utero, Hebraicum habet Mariam. — Migne P. gr. 23, 1342-1343.

Sic descriptis militibus, festinat Vates exhibere ducem sacri belli in

Versu 4°. Caput sacri exercitus est Christus ipse summus Sacerdos. De eius sacerdotio dicitur hic :

1° illud ei datum esse a Deo sub iureiurando,

2° illud ei nunquam ablatum iri,

3° illud esse aeternum,

4° illud esse secundum ordinem Melchisedech.

Primo ergo dicitur, sacerdotium datum esse Christo a Deo sub iureiurando, quo non tantum firma voluntas dantis, sed etiam magnitudo et excellentia dati designatur. Deus ipsa veritas iurat : « Ἐπεὶ κατ' οὐδενὸς εἶχεν μείζονος ὀμόσαι, ὤμοσεν καθ' ἑαυτοῦ. » Hebr. 6, 13. « Βουλόμενος ὁ θεὸς ἐπιδεῖξαι... τὸ ἀμετάθετον τῆς βουλῆς αὐτοῦ, ἐμεσίτευσεν ὅρκῳ. » Ibid. v. 17. « Οἱ μὲν γὰρ — Sacerdotes scil. veteris legis — χωρὶς ὁρκωμοσίας εἰσὶν ἱερεῖς γεγονότες, ὁ δὲ — Christus scil. — μετὰ ὁρκωμοσίας διὰ τοῦ λέγοντος πρὸς αὐτόν· Ὤμοσεν Κύριος, καὶ οὐ μεταμεληθήσεται, Σὺ ἱερεὺς εἰς τὸν αἰῶνα. » Ibid. 7, 21. Habemus hic authenticam explicationem verborum psalmi, et solemnissimum modum, quo Pater cœlestis Christum instituit sacerdotem. Quod si fieri potest adhuc roboratur

Secundo τῷ וְלֹא יִנָּחֵם, quo ἀμετάθετον, immutabilitas consilii Patris coelestis exprimitur. Certo tam solemne decretum irritari non potest, est enim solemnius quam verbum illud יְהִי quo cœlum et terram creavit, quae adhuc perseverant obedientes verbo eius, quae potius transire possent, quam ullum verbum ex ore eius Matth. 5, 18. 24, 35. « Quomodo descendit imber de coelo etc., sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum, sed faciet quaecumque volui, et prosperabitur in his ad quae misi illud. » Isai. 55, 10-11. Deus autem constituit Christum

Tertio Sacerdotem in aeternum לְעוֹלָם, id est, usquedum oriatur dies beatae aeternitatis. « Cum (enim) venerit quod perfectum est, cessabit usus Sacramentorum : quia Beati in gloria cœlesti non egent medicamine sacramentali. Gaudent enim sine fine in praesentia Dei, facie ad faciem gloriam eius speculantes, et de claritate in claritatem abyssi Deitatis transformati, gustant Verbum Dei carnem factum, sicut fuit ab initio et manet in aeternum. » De Imitatione Chr. l. 4. c. 11. n. 2. — Deus constituit

Quarto Christum sacerdotem secundum ordinem Melchisedech עַל־דִּבְרָתִי מַלְכִּי־צֶדֶק, ob similitudinem scil. specierum sacrificii eucha-

ristici cum sacrificio quod obtulit Melchisedech Gen. 14, 18-20. De qua re optime concilium Tridentinum (Sess. 22. c. 1.) : « Quoniam, inquit, sub priori Testamento, teste apostolo Paulo (Hebr. c. 7), propter levitici sacerdotii imbecillitatem, consummatio non erat, oportuit, Deo, patre misericordiarum, ita ordinante, sacerdotem alium *secundum ordinem Melchisedech* surgere, Dominum nostrum Iesum Christum, qui posset omnes, quotquot sanctificandi essent, consummare, et ad perfectum adducere. Is igitur Deus et Dominus noster, etsi (Hebr. c. 7, 9 et 10) semel se ipsum in ara crucis, morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, ut aeternam illic redemptionem operaretur : quia tamen per mortem sacerdotium eius extinguendum non erat, in coena novissima, qua nocte tradebatur, ut dilectae sponsae suae ecclesiae visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium, quo cruentum illud, semel in cruce peragendum, repraesentaretur, eiusque memoria (I Cor. c. 11) in finem usque saeculi permaneret, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quae a nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur, *sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in aeternum constitutum declarans, corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit, ac sub earumdem rerum symbolis, apostolis, quos tunc novi testamenti sacerdotes constituebat*, ut sumerent, tradidit, *et eisdem, eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, praecepit* per haec verba : Hoc facite in meam commemorationem, uti semper catholica ecclesia intellexit et docuit. » Dicamus ergo cum s. Thoma :

Credo quidquid dixit Dei Filius :
Nil hoc verbo Veritatis verius.

Et :

Sic sacrificium istud instituit,
Cuius officium committi voluit
Solis presbyteris, quibus sic congruit
Ut sumant et dent caeteris.

Huc praeterea pertinent Sequentia Lauda Sion Salvatorem, officium et Missa de Corpore Christi, denique tota doctrina de Sacramentis Eucharistiae et Ordinis. Multo cum fructu etiam confertur opus quod D. Faber anglica lingua scripsit de ssma Eucharistia. Item praeclarum opus D. Boppert, quod vocatur Scutum fidei, quo Pius IX pro quotidiana meditatione utebatur. Nota sunt praeterea

opera Gihr, Le Brun, Bona, Innocentii III, s. Alphonsi, Benedicti XIV, de sacrificio Missae, Tapfer, Sala, s. Paschasii Radberti Liber de Corpore et Sanguine Domini (Migne S. l. 120), Sylvestri II (Gerberti) libellus de corpore et sanguine Domini (M. S. l. 139), s. Rabani Mauri liber de sacris ordinibus, sacramentis divinis et vestimentis sacerdotalibus, item eiusdem epistola de corpore et sanguine Domini (M. t. 107-102), b. Lanfranci liber de corpore et sanguine Domini, s. Leonardi a Portu Mauritio il tesore nascosto della S. Messa. Item s. Chrysostomi de Sacerdotio, Mayer de ceremoniis Ecclesiasticis. Ad nutriendam pietatem aptissimae sunt « Le visite al ssmo Sacramento » s. Alphonsi. Ad instructionem optime servit opus D. Schnitzer, Berengar v. Tours etc. Maximum miraculum ssmae Eucharistiae fuit quod conservavit vitam corporalem s. Ebrulfi per 47 annos († 569) et eam b. Nicolai de Rupe per viginti fere annos († 1487) et eam s. Catharinae Senensis aliquando a die Cinerum usque ad Ascensionem Domini. Meditatione digna sunt verba D. Hettinger de Missa : « Hier werden die grössten Geheimnisse des Glaubens gefeiert, tritt das gesammte Leben des Herrn jeden Tag von neuem vor uns hin, schauen wir Bethlehem u. Golgatha. Hier ist das Herz aller Religion, hier der Mittelpunkt alles Cultus, hier der kostbare Edelstein » etc. Aphorismen über Predigt u. Prediger (Freiburg, Herder 1888) S. 278-280. Nostris diebus promotor egregius cultus ss. Eucharistiae extitit D. Claudius Perrot, ex monasterio Einsiedeln, ut patet ex opusculo eius Der Priesteramts-Kandidat (Einsiedeln 1867), praecipue pag. 226-229 et 321-323.

Causis et exercitu sacri belli expensis, Vates pergit loqui in *tertia stropha* de eiusdem victoriis, et quidem in tetrasticho (in versu 5 et 6^a contento) de Dei victoriis ante tempus finale, in tristicho (v. 6^b et 7 contento) de vincendo semper nove insurgente hoste. Quare oportet, ut semper ad eum debellandum parati simus.

V. 5. Nomine אֲדֹנָי hic venit Pater Coelestis, 1° quia oratio ad Messiam in versu praecedente inchoata hic continuatur, 2° quia iam v. 1° subiectio inimicorum Deo attribuitur. — Non adest autem contradictio, cum hic Deus ad dexteram Filii, supra Filius ad dexteram Dei esse dicatur, nam hoc symbolo illic aequalitas inter Patrem et Filium, hic assistentia Patris in bello Filii contra hostes praedicatur, sicuti ex. g. Filius etiam ps. 16 (15), 8 dicit : « Dominus a dextris est mihi, ne commovear », et prout adiutor a dextris

esse dicitur etiam ps. 121 (120), 5 et 109 (108), 31 et diabolus a dextris peccatoris ibid. v. 6. Quocum consentiens Apollinarius Laodicensis († 381) : « Dexterae, inquit, o Intacte, habebis prope defensorem, qui in ira reges terrenos domet [1]. » Et Didymus Alexandrinus († 398) : « Cum prius, inquit, Pater dixisset : Sede a dextris meis, dicitur nunc Filio : Dominus a dextris tuis, ut appareat Filium non ratione loci a dextris esse Patris : alioquin simul foret Pater a dextris Filii, et ipse Filius a dextris Patris, quod absurdum, nisi haec spiritualiter intelligantur. Quemadmodum igitur Pater in Filio et Filius in Patre, ita Filius dextera Patris et Pater a dextris Filii [2]. » De cooperatione Filii cum Patre videas Ioh. 5, 17. — מָחַץ est perfectum propheticum. — De בְּיוֹם־אַפּוֹ consulas Ps. 2, 5. 12. Fuit dies irae, quando Deus destruxit Ierusalem, imperium Romanum tum occidentale tum orientale. Ultima dies irae erit illa de qua canit Sequentia :

Dies irae, dies illa
Solvet seclum in favilla,
Teste David cum Sibylla.

Usque ad illam multi erunt dies irae, quos caveamus ne peccatis nostris multiplicemus vel provocemus. Propterea bene admonet s. P. N. Benedictus : « Mala sua praeterita cum lacrymis vel gemitu quotidie in oratione Deo confiteri. De ipsis malis de caetero emendari. » S. Reg c. 4. i. 58. Recolantur ex Daniele : 1. Epistola Nabuchodonosoris de morbo suo 3, 98-4, 34 ; 2. Regis Baltassaris convivium et Dei scriptura c. 5 ; 3. Revelatio de oppressione populi Dei etc. 10. 1-12. 3. Vere admiranda fuit Ioanna ab Arcu, puella Aurelianensis, per quam Deus debellavit hostes Ecclesiae suae, quam Pius X inter beatas retulit.

V. 6. יָדִין est imperfectum descriptivum, ut ps. 7, 9. 9, 9. 96 (95), 10. De iudicio hostium regni Dei agit Apocalypsis a visione secunda ad visionem sextam (4, 1-20, 15). Hominibus politicis praecipue, ruminanda commendentur Ps. 2, verba Dei ad Solomonem : « Eo quod hoc est apud te, *ut non serves foedus meum* et statuta mea quae praecepi tibi, certo *lacerabo hoc regnum a te*, et tradam servo tuo. » III Reg. 11, 11. Et dictum s. Eduardi : Malle se regno carere, quod sine caede ac sanguine obtineri non possit. —

1. Migne S. gr. 33, 1483.
2. Migne S. gr. 39, 1539-1542.

Et tessera veri principis : Magis prosit quam praesit. — Quae immediate sequuntur praedicant magnas hostium clades, de quibus consulantur Isai. 66, 24. Ezechiel c. 38 et c. 39. Apoc. 19, 17. 18, 21. Recolantur e Daniele c. 2. Nabuchodonosoris somnium de statua et c. 7. Visio de regnis mundi [1].

Quae adhuc supersunt verba huius versus ad tristichon huius strophae pertinere censemus et enuntiare finem omnium bellorum Dei, ut scilicet Deus subiiciat caput regni mundi. Quae verba quamvis non necesse sit ea ad ultimum hostem regni Dei restringere, tamen certo edicunt, etiam maximum et ultimum hostem regni Dei victum iri. Accipimus ergo terram Rabbah pro symbolo regni mundi prout apparet in ps. 21 (20), quocum conferri potest II Sam. 12, 26-31 et Cantic. 7, 5 (4), una cum explicatione nostra ad h. l. Forsitan expresse ad hoc (regnum mundi) designandum, posuit psaltes nomen Rabbah, quod multum, magnum, significat. Etiam hic מָחַץ est perfectum propheticum, pro quo Vulgata habet conquassabit respondens rerum veritati.

V. 7. Sed quamvis Deus subiiciat caput regni mundi, tamen ei usque ad victoriam finalem magnam concedit libertatem. Quod propterea quibuscumque rebus sibi occurrentibus fretum (de torrente in via bibet, prout fecerunt ii qui cum Gedeon in bellum profecturi erant Iudic. 7, 4-6), se eriget contra regnum Dei. Certe phrasis : de torrente bibere, nihil aliud potest significare quam : se recreare, se refocillare. Quum autem hoc de Deo dici non possit, subiectum ad eam esse debet caput regni mundi, sicut diximus. Torrens in via autem designat quodcumque auxilium primum occurrens, inventum, quem sensum via habet etiam Matth. 22, 9. 10. Cfr. Luc. 14, 21. 23. Sap. 2, 16. Quo et abiectio exprimitur, ut patet praecipue e Thren. 4, 5 : « Qui edebant de deliciis, lugubres sedent in viis vel plateis, qui portabantur in coccino amplexantur stercora. » Quodcumque ergo auxilium, quamvis vile et abiectum, caput regni mundi invenit, arripit, ut se erigere possit contra regnum Dei. Elevatio capitis ut signum boni animi iam occurrit Gen. 4, 6. Neque hoc versu sermo esse potest de Christo patiente, cum initio psalmi dictus est glorificatus [2].

1. Deus misericordia sua primam evangelizationem Europae secunda vivificavit, non autem Asiae et Africae, quae proinde plenae sunt cadaveribus. Sed etiam in Europa multa sunt cadavera. Quid sunt Ecclesiae Ierusalemita, Antiochena, Alexandrina, Ephesina, Atheniensis, Carthaginensis, Hipponensis etc. nisi ruinae, cadavera? Plura sibi quisque recogitet.

2. « Interpres suum esse noverit, eorum (Patrum) et vestigia reverenter persequi et laboribus frui intelligenti delectu. Neque ideo tamen viam sibi patet obstructam,

Habemus ergo hic finem psalmi, quamvis non finem ideae psalmi, eodem fere modo ac finis Cantici Canticorum et finis libri Ezechielis c. 40-48 non est finis neque historiae generis humani neque populi Israëlitici. Videsis Cantic. n. p. 308. Quod descriptionem attinet, finis psalmi comparari potest cum fine Cantici Moysis Deut. 32, 43 et fine libri Isaiae. Quo fine psalmi vigiles esse admonemur, quia nescimus, quando hostis insurget in nos, itemque nescimus, quando veniet Filius hominis. Vigilate ergo, quia nescitis neque diem neque horam. « Oblivionem omnino fugiat. » S. P. Bened. s. reg. c. 7.

Hunc pulcherrimum inter psalmos mirabiliter et miserabiliter distorsit D. Paulus Riessler in Tübinger Theologische Quartalschrift. Erstes Quartalheft 1909.

quo minus, ubi iusta causa adfuerit, inquirendo et exponendo vel ultra procedat modo praeceptioni illi, ab Augustino sapienter propositae, religiose obsequatur, videlicet a litterali et veluti obvio sensu minime discedendum, nisi qua eum vel ratio tenere prohibeat vel necessitas cogat dimittere. » Leo XIII in encycl. de s. scriptura ed. Herder. germ.-lat. p. 41-43.

IV. PS. 111 (110) CANTICUM DE REGNO MESSIANICO.

De sancta Paula sic legimus in D. Guéranger anno liturgico ad diem 26 Ianuarii : « Sanctas Scripturas tenebat memoriter, et Vetus ac Novum Testamentum assidue perlegebat. Hebraeam linguam discere voluit, et consecuta est ita, *ut Psalterium hebraïce caneret*, et illam quasi nativam personaret. »

Psalmi 111 ad 113 formant trilogiam psalmorum halleluiaticorum, cum primus ex eis enarret facta Christi admiranda, secundus imitanda, tertius a Christo optanda. Insuper dici possunt duo priores gemelli, in quantum sunt alphabetici, constantes vicenis binis lineis, quarum unaquaeque plerumque tria habet vocabula.

Scripsit Eusebius Caesareensis de hoc psalmo : « Admodum vero congruenter post traditam de Salvatore nostro prophetiam, *hymnus gratiarum actionis his verbis subiungitur*, ex ipsius Salvatoris persona recitatus, qui Patri suo de salute omnibus hominibus concessa gratias refert. » M. P. gr. 23, 1343. In quo errare videtur dicens, psalmum dictum esse e persona Christi, cum hoc supposito, opera Redemptionis attribuenda essent Patri, cum certo multo convenientius Filio attribuantur. Melius propterea scripsit S. Odo Monachus Astensis ad Confitebor tibi, Domine : « Vox Prophetae. » Max. Bibl. 20, 1871. Et adhuc melius S. Athanasius : « Ex persona apostolorum praesens psalmus inducitur, enarrantium quanta et qualia fuere in oeconomia Salvatoris opera. Haec autem docent novum populum, simul gratias agentem de salute sua... *Consilium rectorum dicit novae Synagogae populum*, ad differentiam populi veteris Synagogae. » M. P. l. 27, 463. In hoc psalmo revera verba fieri de rebus Novi Testamenti, attestatur Arnobius Iunior (floruit 460) dicens : « Centesimus decimus psalmus in consilio sanctorum confitetur magna opera Domini nativitatis, passionis, resurrectionis et in coelos ascensionis. » Max. Bibl. 8, 302. Item S. Bruno Astensis scribens ad Redemptionem misit populo suo : « Et quam redemptionem nisi Sanguinem Filii sui? Unde apostolus ait : Empti estis pretio magno, glorificate et portate Deum in corpore vestro (I Cor. 6, 20). Mandavit in aeternum testamentum suum. Mandavit, inquit, Dominus firmiterque praecepit, ut testamentum suum, testamentum confirmatum sanguine Filii sui maneat in aeternum. » Max. Bibl. 20, 1573-1574.

Hic psalmus quidem videri posset symbolico-messianicus, sed quia in eo symbolizata abundant super symbola, Redemptio per Christum super Redemptionem ex Aegypto, ssma Eucharistia super agnum paschalem, diffusio religionis christianae super extirpationem Chananaeorum, recte dicitur hic psalmus mere messianicus in speculo Veteris Testamenti, dictus a Propheta e persona propria, nomine futurae Ecclesiae catholicae. Quibus etiam argumentum psalmi indicatum est, quod brevius sic enunciari potest : *Gratiarum actio per Ecclesiam pro beneficiis Novi Testamenti*, quo gratiarum actio pro beneficiis Veteris Testamenti non excluditur.

Forsitan cecinit hunc psalmum Aggaeus in dedicatione secundi templi anno 516 ante Chr., ut innuere videtur inscriptio sequentis psalmi in Vulgata. Cfr. cum hoc psalmo Agg. 2, 7-9, quibus propheta magnificentiam maiorem secundi templi prae magnificentia primi praedixit.

Examinemus singula, coniungentes quaestionem de locis discrepantibus cum commentario.

Commentarium.

V. 1. א Celebro Iehovam toto animo
ב In conventu rectorum et coetu.

Ob theocratiam restitutam et magnificandam in Ecclesiam catholicam, quam iam oculis spiritus constitutam videt, conatur propheta laudare Deum toto corde in concione tum parva tum magna Iudaeorum, ut eos ad idem exhortetur. Nomine יְשָׁרִים hic veniunt Iudaei, qui verum habebant Dei cultum, et Christiani quos propheta prophetico oculo futuros praevidebat. Nomine סוֹד secretior conventus, nomine עֵדָה totus coetus populi Dei (Lev. 8, 4). Sensus ergo secundae lineae est : in conventu selecto, eorum scilicet qui sunt instructi rebus divinis, imo in universo coetu populi Dei. Convenit versus illis, qui adlaborarunt et adlaborant ad instaurandum decorem sacrae Liturgiae tum in ordine monastico ex. g., tum in universa Ecclesia. אוֹדֶה exprimit hic id quod semper durabit. בְּכָל־לֵבָב totus conatus significatur quo hoc fiet. « In Ecclesia itaque laudandus est Dominus... Noli eum laudare simul cum illis qui extra Ecclesiam sunt. » S. Bruno Ast. Max. Bibl. 20, 1573.

V. 2. ג Magna sunt opera Iehovae,
ד Valde concupita omnibus desiderantibus ea.

Sensus est : Magna sunt opera Iehovae et valde concupita ab omnibus qui desiderant, ut Deus se manifestet ad bonum populi

sui et confusionem malorum, eo magis quia sic augetur gloria Dei, ita ut dicamus : Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam. Certe חֶפְצֵיהֶם non potest esse : voluntates eius, sed חֶפְצֵי debet significare homines desiderantes, et הֶם ad opera Dei se referre. Propterea חֶפְצֵיהֶם non cum the Handy Hebrew Concordance derivandum est a חֵפֶץ delight Vergnügen delectatio, sed a חָפֵץ adj. desirous desiderans, nam certe opera Dei non sunt secundum omnes delectationes rectorum, quamvis hi iudiciis Dei semper acquiescant. דְּרוּשִׁים autem est quaesita, exquisita, sensu desiderata. Quod referri potest tum ad praeteritum, tum ad futurum. Si agitur de praeterito, referre dictum possumus ad bonos, qui diligenter scrutantur et meditantur opera Dei ad modum bonorum historicorum qui sollicite examinant res quas litteris mandare student, et magis adhuc ad modum sanctorum qui ideo opera Dei semper magis cognoscere student, ut semper magis ament Deum et alios ad eum semper magis amandum trahant. Quapropter mandatum erat Israelitis recolere beneficia Dei Patribus collata Ps. 78. Si agitur de futuro, cogitandum est de rebus, quas populus Dei mox fieri cupiebat vel adhuc mox fieri cupit. Quid ex. g. bona pars Israëlitarum ardentius desiderabat quam adventum Messiae, quid quisque Christianus magis desiderat quam ut homines omnes salvi fiant ?

Gross sind die Thaten Iehova's,
Dringend begehrt von allen die sie mögen.

V. 3. ה Gloria et magnificentia opus eius
ו Et iustitia eius manet in aeternum.

Ob unitatem operum Dei positum est hic פָּעֳלוֹ. Actio Dei est הוֹד ob momentum internum, הָדָר ob splendorem externum, cfr. 8, 6. 96, 6. 145, 5. Magnificentia externa operum Dei conspicitur oculo carneo in rebus creatis, magnificentia interna conspicitur oculo spirituali in sanctificatione hominum, quamvis utrumque momentum in quovis opere Dei sit, etsi non appareat oculo humano, ex. g. in Incarnatione. — *Iustitiam Dei in aeternum manentem* nos hic intelligimus de eo quod conservat semper populum suum et de eo quod dat unicuique secundum opera eius. — Cardinalis Hugo a Sancto Charo intelligens iustitiam de operibus bonis, scripsit : Manet in aeternum, quantum ad praemium vel fructum, Eccl. 44[b]. Quorum pietates non defuerunt, cum semine eorum perseveravit bona haereditas. Sic Cardinalis. Sed observandum est, hic de iustitia Dei sermonem esse.

V. 4. ז Memoriam fecit mirabilium suorum :
ח Misericors et miserator Iehova.

Hic et sequentibus sermo est de sacratissima Eucharistia, quam Dominus Noster monumentum posuit in Ecclesia, ut nos diceremus, ne populus christianus mirabilia sua oblivisceretur (106, 13. 21. 95, 8-11), quae pro eo fecerat. Est hoc sacramentum monumentum amoris, et propterea bene additur : Misericors et miserator Iehova. De quo bene scripsit B. Albertus M. : Postquam psalmista egit de Christi sublimatione usque ad dexteram Dei Patris, quod factum fuit in Ascensione, ne nos videatur penitus deseruisse, *agitur hic de beneficio commansionis nobiscum in Sacramento Altaris.* Ed. Iammy t. 7. p. 276. — Dicitur

V. 5 in quo consistat hoc monumentum, et pro quanto tempore illud Dominus Noster instituerit.

ט Escam dedit timentibus se :
י Memor erit in saeculum testamenti sui.

In memoriam aeternam foederis quod pepigerat Deus cum populo suo, instituerat in Vetere T. esum agni paschalis (Exod. 12, 1-20) et alias epulationes cum sacrificiis coniunctas. Pro novo Testamento hoc valet de ssma Eucharistia, de qua optime S. Thomas canit :

Se nascens dedit socium,
Convescens in edulium,
Se moriens in pretium,
Se regnans dat in praemium.

Omnia haec scilicet in mentem revocat ssma Eucharistia, ita ut sit praecipuum memoriale beneficiorum Dei. לִירֵאָיו aequat hic Christicolis. Linea Iod edicit, Eucharistiam celebratum iri donec veniat Dominus ad ultimum iudicium I Cor. 11, 26. Optime S. Gaudentius Brixiensis (floruit 386) hunc locum sic interpretatur : « Denique in hac etiam lectione Exodi, quae ordinem celebrandae Paschae disponit, unum Dei agnum cum omnibus mysteriis vitae nostrae invenimus, ipsum cognoscentes Dominum verum et hominem, Dominum gregis et ovem, pastorem simul et pascua. *Misericors enim et miserator Dominus semetipsum dedit escam timentibus se.* Nam totius observantiae veteris legem, per gratiam filii Dei, in veritate novi Testamenti cognovimus esse completam, probantes, quomodo Paschae lex, quae per Moysen fuerat data, gratia et veri-

tas per Iesum Christum facta. » Ioan. 1, 17. Max. Bibl. 5, 961.

Post descriptum pretiosissimum monumentum quod Dominus Noster Ecclesiae suae relicturus erat, describit psaltes extensionem quam Ecclesia capiet : erit haeres gentium 2, 8.

V. 6. כ Vim operum suorum manifestavit populo suo,
ל Dando eis haereditatem gentium.

Praedicto memoriali venire esum agni paschalis, ex eo patet, quod additur sermo de eductione ex Aegypto, ob cuius memoriam perennem esus agni paschalis institutus erat. Utique Deus praecipue vim operum suorum manifestavit populo suo, dando eis possessionem gentium (44, 1-4), quod pro antiquo Testamento valet de terra Chanaan, in novo de universo mundo 2, 8. Apoc. 21, 12. 7, 4-8. Ez. 48, 31-34. « Non enim per legem promissio Abrahae scilicet (sic vertatur אֹ, non : autem), ut haeres esset mundi, sed per iustitiam fidei. » Rom. 4, 13. הִגִּיד certe non est annunciabit, sed indicavit, demonstravit, declaravit, ut 19, 2. Quocum cohaeret sequens לָתֵת, quod vertatur dando, non ut det. לָהֶם se refert ad multitudinem hominum quibus populus electus constabat. — Cum expositione dicta concordat S. Bruno Herbipolensis († 1045), qui adnotavit ad eis : id est, populo christiano —, et ad haereditatem gentium : quando Ecclesiam de cunctis nationibus vivis lapidibus fabricavit. — Max. Bibl. 18, 265-266. Item Euthymius Zigabenus († 1118), qui scripsit : « Iudaeis quidem terram promissionis (dedit), quam gentes habitabant : nobis vero universam illam terram, cuius fideles efficiendi erant Domini. » Max. Bibl. 19, 419.

Forsitan multis nimis dura videtur exterminatio Chananaeorum et gentilitatis. Sed audiamus, quid dicat sacer psaltes :

V. 7. מ Opera manuum eius veritas et iudicium :
נ Fidelia omnia mandata eius.

Sensus lineae Mem est : Omnia quae patrat Deus quoad homines vel sunt remuneratio secundum promissionem (= veritatem), vel punitio secundum minas (= iudicium). Quoad exterminationem Chananaeorum et implantationem Israelitarum in terram eorum, audiamus quid Deus dicit per Moysen : « Ne dicas in corde tuo, cum deleverit eos Dominus Deus tuus in conspectu tuo : Propter iustitiam meam introduxit me Dominus, ut terram hanc possiderem, *cum propter impietates suas istae deletae sint nationes.* Neque enim propter iustitias tuas et aequitatem cordis tui ingredieris, ut possi-

deas terras earum, *sed quia illae egerunt inique*, introeunte te deletae sunt, *et ut compleret verbum suum Dominus, quod sub iuramento pollicitus est patribus tuis Abraham, Isaac et Iacob.* » Dt. 9, 4. 5. Consulatur praeterea Sap. 12, 2-22. De malitia Chananaeorum etiam multis aliis in locis scripturae sermo est. De malitia ethnicorum generatim loquitur Paulus in ep. ad Romanos 1, 18-23, de eorum punitione ibid. a v. 24 ad 32. Facit huc etiam iudicium Dei de mundo per equites in equo albo, rubro, nigro et pallido Apoc. c. 6, et per spiritum quatuor quadrigarum Zach. 6, 1-8. — Loquitur porro psaltes de mandatis Dei, quo veniunt mandata Dei moralia tum naturalia, tum revelata, et dicit, ea esse נֶאֱמָנִים fidelia, constantia, stabilia, non mutabilia sicut leges in Gallia, scil. eis fidere possumus, ita ut eis obediendo felices evadamus, et ea transgrediendo infelices. « Beati integri via, Ambulantes in lege Iehovae. Beati custodientes testimonia eius, In toto corde quaerunt eum. Utinam dirigantur viae meae, Ad custodienda statuta tua ! Increpas superbos (ut) maledictos, Aberrantes a mandatis tuis. » E ps. 119. — Continuat psaltes loqui de mandatis Dei

V. 8. ס Confirmata in saeculum saeculi,
ע Facta in veritate et recta.

Dicuntur mandata Dei סְמוּכִים confirmata, fulta in saeculum saeculi, id est, mutari non possunt, sicut nec Ecclesia in rebus essentialibus. — Porro dicuntur mandata Dei אֱמֶת veritas, quo hic videtur significari sanctitas Dei in quantum est exemplar sanctitatis hominum (Matth. 5, 48), et יָשָׁר (singularis pro plurali ut 119, 137) recta uti concordantia cum aspirationibus et necessitatibus cordis humani. Vulgata pro iaschar habet : in aequitate et LXX : ἐν εὐθύτητι, quod eunden sensum habere videtur. עֲשׂוּיִם part. pass. ab עָשָׂה uti Ez. 41, 20. 25, hic significat ordinata, entworfen.

Quae adhuc restant psalmi repetunt iam dicta ad ea magis exaggeranda et inculcanda.

V. 9. פ Redemptionem misit populo suo [1],
צ Mandavit in aeternum testamentum suum.
ק Sanctum et terribile nomen eius.

Redemptionem misit Dominus populo suo, eum educendo ex Aegypto, et foedus suum cum populo suo sancivit pro semper.

1. S. Petrus Nolasco hunc versum proferens expiravit.

Quod perfecit mittendo Iesum Christum. Sanctum et terribile est nomen eius, id est, revelatio eius respondet suae sanctitati, et est terribilis et tremenda iis qui contra eam agunt vel eam despiciunt, ut patet e dictis ad v. 7.

V. 10. ר Initium Sapientiae timor Iehovae,
ש Intellectus bonus omnibus facientibus ea [1].
ת Laudatio eius [2] manet in saeculum saeculi.

Addit psalmista dictis conclusionem practicam : Initium Sapientiae est timor Domini, id est, principium placendi Deo et consulendi sibi ipsi positum est in observandis Dei praeceptis. Timor Domini ergo hic idem est ac acceptatio et observatio mandatorum Dei quae hominibus innotuerunt per revelationem divinam (19, 10), et bonum intellectum habet is quia ea adimplet. Suffixio הֶם se refert psalmista mente ad mandata. Certe hoc suffixium non potest se referre ad Deum et eum significare. LXX pro eo habent αὐτήν, se referens, ut videtur, ad σοφίαν, ita ut concordarent sensu cum hebraico, nam exercens sapientiam, observat Dei mandata. Vulgata autem per eum se refert ad Dominum vel timorem Dei immediate praecedentem, ita ut concordet sensu cum hebraeo et graeco. « L'hébreu au lieu de facientibus eum, dit, facientibus, id est, mandata. » St. Alph. Laus huius hominis aeterna est, saltem apud Deum, sicut laus Dei in aeternum permanet. Quantum laboravit S. Stephanus rex ad dilatandum regnum Dei externe, quantum Pius VIII ad dilatandum illud interne. Dicamus cum S. P. N. Benedicto : Ut in omnibus glorificetur Deus et cum S. P. Ignatio : Omnia ad majorem Dei gloriam.

1. Id est qui adimplent mandata Dei, vide explicationem datam.
2. Hominis qui adimplet mandata Dei.

V. PS. 112. CANTICUM DE ORTU CHRISTI, EIUS REGIMINE IN ECCLESIA ET VICTORIA FINALI.

Omnes quidem laudant studium sacrae scripturae, sed nihilominus ei tantum illud tempus consecrare posse vel debere putant, quod ad aliud impendere nesciunt. In quo hi homines similes sunt eis, qui Deo tantum illud vitae tempus dant quod mundus respuit. Qui videant ipsi, utrum hoc donum Deo placeat.

Psalmus indicatus est e novem alphabeticis : 9, 10, 25, 34, 37, 111, 112, 119, 145. Forsitan compositus est a propheta Zacharia pro dedicatione secundi templi anno 516 ante Chr., cfr. Zach. 1, 2-6, ut innuere videtur inscriptio psalmi in Vulgata, quae tamen deest in graeco et in hebraico.

Cum versus 4^us^ psalmi omnino concordet cum loco messianico apud Isaiam 60, 1-3, imo inde mutuatus esse videatur, nos illum versum prophetiam de ortu Messiae esse censemus. Praeterea cum totus psalmus multo melius Christo, in quantum vivit in Ecclesia et in fine mundi omne malum vincet, conveniat, quam homini iusto, nos psalmum mere messianicum esse ducimus, *et canere ortum Messiae, eius misericors et forte regimen in Ecclesia, et eius victoriam finalem.* Cui sententiae Ecclesia adstipulari videtur, quia inseruit hunc psalmum psalmis vesperalibus pro festo Nativitatis Domini. Item explanant psalmum de Christo Cardinalis Hugo a Sancto Charo, Beatus Albertus Magnus et Dionysius Carthusianus.

Constat psalmus viginti duabus lineis, quarum unaquaeque plerumque tria habet vocabula, quod schema S. Hier. quantum fieri potuit, retinuit. Vid. M. P. l. 28, 1281. — De psalmis halleluiaticis alio tempore disseremus. — Coniungemus cum Commentario locos discrepantes.

Commentarium.

Dispescitur psalmus in duas partes : prima exhibet beneficentiam Dei ergo Hominem-Deum, secunda beneficentiam Hominis-Dei ergo genus humanum. Percurramus singulos versus.

V. 1. א O beatum virum qui timet Iehovam !

Scripsit B. Albertus Magnus : Postquam egit psalmista de Christi

Ascensione, et rursus de eiusdem nobiscum mansione in Sacramento, agit de reversione ipsius ad iudicium. Quo magis assentimus duabus prioribus enuntiationibus Beati, eo minus tertiae, nam certo in hoc psalmo non fiunt verba de iudicio novissimo, ut quisque concedet. Quamvis in versu ultimo adsit allusio ad illud. Vir de quo hic propheta loquitur, est Christus. Fuit *beatus* ab exordio suae conceptionis in utero sanctissimae Virginis Matris suae immaculatae, quia tunc iam videbat Deum per speciem, et iam tunc erat *vir* propter omnium virtutum ac sapientiae perfectionem. Unde, dicente Dionysio Carthusiano, iam tunc valebat de eo dictum Jeremiae 31, 22 : *Novum creavit Dominus super terram : mulier circumdabit virum.* Sic locum Ieremiae iam explicant SS. Iustinus, Cyprianus, Hieronymus, Augustinus. Videas Allioli ad Ier. 31, 22. Iam tunc *timebat* Christus ut homo *Dominum* timore filiali, illo praecipue qui est unum e septem donis Spiritus Sancti, quemadmodum per Isaiam (11, 3) dicitur : Replebit eum Spiritus timoris Domini. — Ex versu explicato inferre quoque licet ; quam felix sit homo qui timet Dominum. — Continuat sic loqui propheta de Christo in *linea* ב *Mandatis eius delectatur valde.* Quanto ferventius Christus prae omnibus hominibus Deum amabat, tanto perfectius eius delectabatur mandatis eaque adimplebat. Propterea dixit ad Ioannem qui eum nolebat baptizare : « Sine modo : sic enim decet nos implere omnem iustitiam » ? Matth. 3, 15. Quam exacte adimplebat omnia praecepta legis Mosaicae, patet ex Evangelio. Imo, tam desiderabile, tamque delectabile erat Christo homini praecepta Patris servare, ut diceret : « Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei, qui misit me, ut perficiam opus eius. » Ioan. 4, 34. In hoc ergo Christus pulcherrimum exemplum est unicuique homini.

Quod philologiam attinet, יְרֵא quidem in linea Aleph adiectivum esse posset, sed e comparatione cum חָפֵץ concludimus esse verbum. Omissum est ergo relativum post אִישׁ. Posita autem sunt duo praeterita respectu ad iam inceptum et ad duo futura in v. 2°. In graeco et latino pro eis ponenda essent praesentia. Bene habet propterea Vulgata timet, pro volet autem melius poneretur delectatur, vel quid simile.

Delitzsch : *A*usnehmend wohl dem, der Gott fürchtet,
*B*ei seinen Geboten sich wohlgefällt !

In qua versione post dem-Mann intercalandum esset. — Continuat propheta sic loqui de Christo

Versu 2°, linea ג *Potens in terra erit semen eius.*

Certo in nullo haec praedictio tam perfecte adimpleta est et adhuc adimpletur et adimplebitur sicut in Christo, cuius progenies spiritualis est populus christianus praedictus a Daniele c. 2 per lapidem crescentem in montem implentem totum mundum, et in c. 7 per regnum sanctorum, quod nunquam destruetur, a psalmis 2, 16, 45, 47, 72, 110 et innumeris aliis locis Veteris Testamenti. — Si applicamus hanc praedictionem Israelitis reducibus ex exilio, forte incitamentum continet, ut bene observarent Dei mandata, cfr. Zach. 8, 5. Si eam applicamus bonis christianis coniugibus, saepe non se ut veram probat. Quot porro in Gallia sunt coniuges, qui frustrantur actum maritalem ! Denique quid dicendum de iis qui se ipsos castrant propter regnum coelorum ? Imo hic locus contradicere videtur illi in 113, 9, ubi sterilis beata dicitur. Quapropter S. Aug. hunc locum de mercede interpretatur, quae pro quovis bono homini datur 37, 1468-1469. Ordinum fundatores magnam habuerunt prolem.

Lineam ד *Generatio rectorum benedicetur vel benedicitur* nos ut interiectionem valentem de omnibus bonis hominibus consideramus. Qui pro certo a Deo benedicuntur benedictionibus coelestibus et terrestribus. Quod si ob secretum Dei consilium pauciora quam mererent, accipiunt bona terrestria ; eo plura accipient coelestia in tempore et in aeternitate, ut probant familia Iesu, Mariae et Joseph; Mariae, Joachim et Anna ; Ioannis, Zachariae et Elisabeth, et innumera alia exempla. Verbo iudicia Dei sunt abyssus multa, et verbum Dei verum est et verum remanet, quidquid nobis contrarium videatur. — Continuatur interiectio vel digressio, scil. descriptio prosperitatis bonorum in

Versu 3°, *linea* ה *Opes et divitiae in domo eius* (singulorum iustorum).

Vulgata ponens Gloria pro opes, legit הוֹד pro הוֹן, quod significat opes.

Ad quam lineam explicandam nihil addendum est ad iam dictum. Accomodationis causa memorentur reduces e captivitate babylonica, quibus dicta promissio potentissimus stimulus erat, ut Deum timerent et sancta eius praecepta observarent, cfr. Agg. 2, 10-19. Petrus Lombardus interpretatur domum iusti, secundum Augustinum et Cassiodorum, de eius corde, ubi divitiae sanctae reponuntur. M. S. l. 191, 1012. Gerhohus lineam hanc exponit de gloria coelesti. M. P. l. 194, 703. — Quo facto, redit sermo iterum ad Christum in

Linea ו *Et iustitia eius est manens* (עֹמֶדֶת participi.) *in aeternum.*

Iustitia hic accipi potest et debet tum de regno veritatis, tum de iustitia personali. Regnum veritatis in eo consistit, quod Christus non tantum regnum externum Ecclesiae, sed etiam veram doctrinam in ea semper conservat, et ideo non permittit ut Ecclesia unquam erret in rebus fidei et morum. Iustitia personalis distinguitur in distributivam, secundum quam Christus unicuique tribuit secundum eius merita, et stricte personalem, vi cuius nunquam ne minimam quamvis imperfectionem committit. Sub quovis respectu iustitia eius perpetua est sicut iustitia Dei, ut dictum est 111, 3 : ad quam perpetuitatem exprimendam optime inservit participium omedeth, pro quo tamen latine melius ponitur indicativus manet. Iustitia autem fere omnium hominum, etiam perfectissimorum, interdum vacillat. Sic ex. g. omnibus nota est negatio Petri, incredulitas Thomae. Sic etiam ex. g. accusat D. Montalembert S. Gregorium M. de adulatione erga imperatorem Phocam in Die Mönche des Abendl. t. 2 p. 128-133.

Christus autem tanta iustitia pollet, quia non est tantum homo, sed etiam Deus, ut dicitur

Versu 4°. ר. *Exortum est* (perfectum prophetic.) *in tenebris lumen rectis.* Idem dicit Ioannes : Erat lux vera : ἦν τὸ φῶς τὸ ἀληθινόν (1, 9), id est : lumen de lumine, non lux mutuata. Quod lumen ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον iam ἐν τῷ κόσμῳ ἦν. Tenebrae autem sunt falsae religiones et mali mores, ad quae fuganda Christus venit in hunc mundum, teste Zacharia : Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent. Illuminat autem Christus omnes rectos, id est, omnes qui sunt bonae voluntatis, qui vere et sincere Deum quaerunt. — Quodnam hoc lumen sit dicitur linea

ח. *Gratiosus* (חַנּוּן potius est gratiosus quam misericors) *et Misericors et Iustus.*

Lumen ergo de quo hic sermo est, est Deus ipse. Propterea LXX fini huius versus addiderunt κύριος ὁ θεός secundum editionem Stier et Theile. Etiam a Malachia 3, 20 vocatur Christus sol iustitiae, qui oritur timentibus ipsum cum alis gratiam et misericordiam distribuentibus. Insuper appellatur Messias צֶמַח germen Zach. 3, 8 quoad humanam naturam, et ἀνατολή Oriens Luc. 1, 74 quoad divinitatem. Ab Isaia saepe vocatur lux, ex. g. 9, 2. 58, 8. 60, 2. Christus ipse dicit de se : Ego sum lux mundi Ioan. 8, 12. Optime accomodatur hic versus pastoribus quibus annuntiata est ab angelo Nativitas Salvatoris. Insuper lux etiam designat doctrinam Christi Luc. 1, 78, benignitatem 4, 7, beneficium 8, 17. Vocatur hic

Christus *gratiosus*, quia est gratia increata, et etiam Ioan. 1, 14 dicitur verbum caro factum πλήρης χάριτος plenum gratiae. Nominatur insuper *misericors*, quia est misericordia ipsa et venit in mundum, ut misereretur hominum. Vocatur denique *iustus*, quia est iustitia ipsa, et venit in mundum, ut vocaret homines ad veram iustitiam et sanctitatem. — Sic exhibita doctrina de persona Hominis-Dei, exhibet psalmista in secunda parte psalmi doctrinam de eius beneficentia.

Versu 5° incipit pars secunda psalmi.

ט : *Beatus*[1] *vir qui misereatur et commodat.* Nos potius diceremus: Beatus est vir, qui cum misereatur, commodat. Certo amatus et amandus est quisque qui misericordia in proximum ducitur. Recordemur quatuordecim opera misericordiae. Etiam S. P. Benedictus habet inter instrumenta bonorum operum: Pauperes recreare, Nudum vestire, Infirmum visitare, Mortuum sepelire, In tribulatione subvenire, Dolentem consolari. Sed quis maiorem exhibuit et continuo exhibet misericordiam quam Christus, qui nos redemit suo sanguine et per Ecclesiam continuo liberat homines a peccatis et ad sanctitatem confortat? — Forsitan attendendum est ad *commodat* (מַלְוֶה est part. hi. a לָוָה ut 37, 26. Prov. 22, 7), quia Deus datas gratias cum usuris repetit, ut docet parabola de talentis Matth. 25, 14-30 et parabola de mnabus Luc. 19, 12-27. « Cum augentur dona, rationes etiam crescunt donorum. » S. Greg. M. Conferatur eiusdem Sancti homilia in parabolam de talentis in Breviario, et illa S. Ambrosii in parabolam de mnabus item in Breviario. Prior liquida, posterior intricata est. — Continuatur sermo de Homine-Deo in linea י : *Sustinebit res suas in iudicio.*

יְכַלְכֵּל Pilpel a כּוּל non est disponet, sed sustinebit, sustentabit, ut 55, 23. Thren. 18, 14. — דְּבָרָיו hic non est sermones, sed res, lites, de quibus agitur in iudiciis. Bonus vir, si accusatur, rem suam in iudicio bonis rationibus sustentabit et vincet: er wird seine Sache durchsetzen.

Certo in controversiis de fide et moribus Christus per Ecclesiam semper vincit causam contra haereses, imo etiam semper vicit causam contra imperatores idololatras. Denique vicit mundum usque nunc et vincet usque in finem seculi, ut ostendit Apocalypsis a visione secunda ad sextam a c. 4 ad c. 20. Iusti homines in iudicio non semper vincunt, ut probat, quin Salvatoris meminerim, historia

1. טוֹב proprie est bonus, hic beatus, ut Isai. 3, 10. Ier. 44, 17.

Nabot. — Quam firmiter autem Christus stet in Ecclesia, dicitur sequente.

V. 6. כ : *Quin imo in aeternum non commovebitur.* — כִּי initii non est quia, sed imo, revera, quin potius. Quantumvis ergo Christus impetatur in Ecclesia, nunquam vacillabit vel commovebitur, id est, nunquam sinet Ecclesiam supprimi vel in errorem duci, ut sub littera He diximus. Econtra, ut dicit linea

ל : *In memoria aeterna erit iustus.* Nomen Christi nunquam delebitur. Sic nec nomen immaculate conceptae Virginis Matris eius Mariae. Non valet hoc de omnibus sanctis, et etiam multi mali maxima fama gaudent. Memoria Christi permanebit [1], etiamsi mala proferuntur contra eum, ut affirmatur sequente.

V. 7. מ : *Ab auditione* (fama) *mala non timebit.* Adnotavit Origenes : « *Auditio*, id est, fama, quemadmodum etiam in Evangelio scriptum est : Exiit *auditio* eius in universam Syriam (Matth. 4, 24). Et rursus : Audituri estis praelia et *auditiones* praeliorum (Matth. 24, 6). » M. S. gr. 12, 1571. Quot blasphemiae prolatae sunt a tempore Arii usque nunc contra personam Christi, et proferentur usque ad finem seculi. Sed Christus eas non timet, sed firmavit et firmabit Ecclesiam, ut haec semper veram doctrinam de ipsius persona conservaverit et conservet. Fundamentum tantae firmitatis est Deus, ut evincitur e sequente linea.

נ : *Firmatum est cor eius, confisum in Iehova.* נָכוֹן non est paratum, sed firmatum, ut 108, 2. 57, 8. — בָּטֻחַ non est infinitivus sperare, sed particip. passivum : confisum, fundatum, fultum, securum. Certo Cor Iesu sacratissimum nunquam diffidere potest de Dei bonitate, et omnis qui ei fidit, certo exaudietur et salvabitur. Dirigamus ergo saepe ad illud psalmum 19, qui est Oratio exultans ad Cor Iesu, et etiam consecrationem Cordi Iesu pro convertendo Clero, editam a Pio X die 17 Augusti 1909. Quantum laborarunt pro convertendo Clero Gregorius VII et Monachi ei addicti, Petrus Damiani, Leo XII necnon Pius IX et Leo XIII prædecessores Pii X feliciter regnantis. — Continuatur idem argumentum.

Versu 8°. ס : *Confortatum est cor eius : non timet.* Quando invalescunt mala contra Ecclesiam, etiam Cor Iesu timere posset, ut modo humano loquar, si denique timere posset. Sed cum in Deo

1. Facit huc aureum opusculum D. Mgr. Gaume, viri vere apostolici : Credo ou refuge du Chrétien dans les temps actuels, cuius libri argumentum est : Le monde adore un Juif crucifié.

firmatum sit, imo cum sit Cor Hominis-Dei timere non potest. Imitemur Cor Iesu, ponentes cor nostrum in eo, ut non timeamus a quibusvis adversariis. — Continuatur idem argumentum linea litterae

ע : *Donec pascere possit oculos in inimicis suis.* רָאָה cum בְּ non est despiciat, sed pascet oculos suos in inimicis suis. Comparari potest versus 10^us^ capitis 14^i^ Apocalypseos, ubi mali in inferno cruciari dicuntur coram angelis et *agno*. Laudemus Deum et *agnum*, id est, *Christum*, bonis operibus in terra, ne teneamur eum laudare cruciatibus in inferno. — Sed si iustus non movetur, valente adversario, multo minus eo infirmato. עַד ergo non edicit, evenire post terminum positum quod antea non evenit. — Sequitur

Versu 9° descriptio illius quod facit per Ecclesiam durante hac mortalitate.

פ : *Dispergit, dat egentibus.*

Duo verba פִּזַּר et נָתַן reddantur praesentibus, quia propheta videt Messiae activitatem inceptam continuari. Quod nos intelligimus de distributione gratiae, quam praecipue desiderantibus dat. Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam, quoniam ipsorum est regnum caelorum. Esurientes implet bonis, et divites dimittit inanes. Idem edicit sequens linea.

צ : *Iustitia eius manet in seculum seculi. Iustitia* aequat hic *beneficentia* ut II Cor. 9, 9. Iustitia Christi haec manet in seculum seculi, sicut iustitia Dei, quia Christus est Deus, ut dictum est v. 3 — Ob hanc beneficentiam elevatur gloriose cornu, id est auctoritas Christi inter homines, ut dicit linea sequens.

ק : *cornu eius exaltabitur* (melius vegete crescet) *in gloria.* — תָּרוּם significat hic vegete et alacriter crescere in oppositione ad הָרִים 132, 17. 75, 5 propriis viribus se exaltare (selbstwirkend sich erheben). Propterea haec linea bene vertitur : Cornu eius vegete germinabit vel crescet in gloria : quick sprosst empor sein Horn in Ehren. Quantum Christus exaltatus sit in coelo et in terra, docet doctrina catholica, canunt psalmi 110, 16, 2 et alii. — Quomodo ad hanc exaltationem Christi se habeat improbus, docet

Versu 10° linea

ר : *Improbus hoc videns irascetur* (id est corde turbabitur, iuxta illud : Videntes turbabuntur timore horribili Sap. 5, 2), et linea

ש : *Dentibus suis frendens contabescet.* נָמַס 3 p. N. ut Exod. 16,

21 in pausa pro נָמַס vel נָמֵס a מָסַס proprie diffluere. Improbus ergo etiam externe fremitu dentium iram suam manifestat, et contabescit, verliert allen Halt, geht aus den Fugen. — Denique ultima linea interitus improborum praedicitur.

ת : *Desiderium improborum pereat necesse est.* Hoc nos intelligimus de ultimo iudicio. Tunc Christus cum sanctis triumphabit, diabolus cum improbis suspirabit.

Confutatis maledictis,
Flammis acribus addictis,
Voca me cum benedictis.

Hic psalmus ad literam intellectus de bonis hominibus contradicit psalmis 42, 43, 44, 60, 80, 89, qui sunt orationes innocentis afflicti petentis sublevamen. Debet ergo vel exponi de Christo, sicut fecimus, vel intelligi spiritualiter de bonis hominibus cum conditionibus et restrictionibus. Non parum interest ergo vera cognitio. Quare bene scripsit S. Edmundus : « Duo, sine pluribus, faciunt hominem sanctum, videlicet cognitio et amor : hoc est, cognitio veritatis et amor bonitatis. » Max. Bibl. 25, 317.

VI. PS. 113 (112). CANTICUM DE ELEVATIONE GENERIS HUMANI PER INCARNATIONEM ET ECCLESIAM.

Es geht ein stilles Weinen,
Soweit die lieben Sterne scheinen,
Durch alle Adern der Natur,
Es ringt u. seufet nach der Erlösung
Entgegeharrend der Verheissung,
In Liebesangst die Kreatur.

Canit hic psalmus, sicut supra diximus, ea quae nobis exoptanda sunt a Christo. Merito propterea inscribitur הַלְלוּיָהּ. Hoc psalmo incipit Hallel (ps. 113-118), quod Judaei tribus principalibus festis anni, in festo encaeniorum (חֲנֻכָּה) et in neomeniis canebant. In Paschate psalmi 113 et 114 ante coenam antequam secundum poculum ebiberetur, psalmi 115-118 post coenam post impletum quartum poculum canebantur. Ad quod alludit ὑμνήσαντες Matth. 26, 30. Marc. 14, 26 post institutionem ss. Eucharistiae, quae post ebibitum quartum poculum facta est. Paulus Burgensis vocat psalmos 113-118 Alleluia Judaeorum magnum, uti et alii, at communiter psalmi 113-118 et praecipue psalmi 115-118 simpliciter הַלֵּל vocantur, reservato nomine הַלֵּל הַגָּדוֹל psalmo 136 cum suis 26 כי לעולם חסדו. — Abundat in hoc psalmo Iod vel Iud compaginis, de quo videsis Nägelsbach p. 43.

Haberi potest hic psalmus velut *exemplar laudum et gratiarum actionis Dei, quod licet Altissimus, sese ad ima demittit*, quod praecipue factum est Incarnatione. Propterea similis est cantici Magnificat Beatae Mariae et etiam Cantici Annae I, Sam. c. 2.

Eusebius in inscriptione huius psalmi legit : Psalmus Aggaei et Zachariae, quo permoti et hunc psalmum, sicut praecedentem, pro dedicatione secundi templi anno 516 ante Chr. celebrata a Zacharia propheta (cfr. Zach. 3, 4-5) compositum esse putamus. — *Constat psalmus tribus hexastichiis*, quo, ut mihi videtur, alluditur ad sanctissimam Trinitatem.

Commentarium.

הַלְלוּיָהּ

Primum hexastichium : Deus laudandus est semper et ubique.

V. 1. Laudate pueri Jehovae !
Laudate nomen Jehovae !

V. 2. Sit nomen Jehovae benedictum
Ex hoc nunc et usque in saeculum.
V. 3. Ab ortu solis usque ad occasum eius
Laudabile est nomen Jehovae.

Scrutanda sunt singula.

V. 1. Certe non recte vertunt LXX et Vulg. עַבְדֵי יהוה παῖδες τὸν κύριον et pueri Dominum. Obiectum ad primum Laudate sumendum est e secunda linea. Deus laudandus est semper et ubique. Propterea primo versu pueri Jehovae, id est cultores Dei speciales ad laudandum nomen Dei, id est, Deum in quantum se revelat, invitantur. Valde amoenum est hoc initium, quapropter ei applicare possumus dictum poëtae : Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci, Lectorem delectando pariterque monendo. Clemens Alexandrinus, considerans omnes qui in veritate versantur, ut *pueros apud Deum*, scripsit : « Miraris, dum audis viros qui sunt in Gentibus, a Domino vocari pueros », referens se ad hunc versum. Quod fecit non intelligens vocem hebraicam. Max. Bibl. 3, 26. Idem dicendum est de S. Prospero Aquitano, qui expositionem huius psalmi incipit dicendo : « Exhortatio haec non ad pueriles tantum annos, sed ad omnem profertur aetatem ». Max. B. 8, 130.

V. 2. In secundo versu nomen Dei a tempore praesente usque in aevum, id est, semper et pro semper benedicendum, id est, cum gratiarum actione benedicendum dicitur. Quocum consentiens est dictum in II. Makk. 1, 17 : εὐλογητὸς ἡμῶν ὁ θεός. Discamus ex hoc versu quoque, nunquam proferre nomen Dei in vanum, et hoc etiam apud alios prohibere quantum possumus.

V. 3. Dicitur in hoc versu idem de loco quod in versu praecedente dictum est de tempore : sit nomen Domini ubique laudatum et benedictum. מְהֻלָּל aequat laudatum et laude dignum Εὐλογητὸς εἶ ὁ σωτήρ. I Makk. 4, 30.

A solis ortus cardine
Christum canamus principem,
Ad usque terrae limitem,
Natum Maria Virgine.

S. Pacianus (floruit sec. 4) adhibuit hunc versum ad probandum, contra Novatianos, Ecclesiam esse catholicam. Max. Bibl. 4, 315.

Secundum hexastichium : Deus est incomparabilis. Indicat ergo causam laudis eius externae et universalis.

V. 4. Excelsus super omnes gentes Jehova,
Super caelos gloria eius.
V. 5. Quis sicut Jehova Deus noster,
Sedens in alto,
V. 6. Respiciens in imum,
In caelo et in terra?

Versu 4ᵒ celebratur Deus ut altissimus. Nomine גּוֹיִם veniunt hic forsitan omnes populi, non exceptis Judaeis ; vel forsitan dicere intendit psalmista : Quamvis sint gentes plurimae et potentissimae in orbe terrarum, quid sunt hae omnes comparatae cum Deo, qui magnificentia etiam superat omnes caelicolas, denique omne creatum?

Idacius Clarus (floruit 380) applicans haec verba Christo dicit, eum esse excelsum super omnia creata, sicut Patrem et Spiritum Sanctum. Max. B. 5, 746.

Versus 5 et 6 celebrant Deum ut incomparabilem. Ad interrogationem : Quis sicut Jehova Deus noster in caelo et in terra, respondendum est : nemo. Duae lineae mediae appositiones sunt ad Deum. הַמַּגְבִּיהִי part. hiph. cum י campaginis vel paragogico et articulo, a גָּבַהּ k. altum esse, hiph. altum facere ; cum alio verbo ut adverbium adhibetur, sicut hic cum לָשָׁבֶת : Qui in alio habitat. לָשָׁבֶת infin. a יָשַׁב cum ל praefixo : sedere, habitare. – הַמַּשְׁפִּילִי part. hiph. cum Iod compaginis vel paragogico et articulo a שָׁפַל k. humile esse, niedrig sein, hiph. humiliare, cum alio verbo ut adverbium adhibetur, ut hic cum לִרְאוֹת : respicere. לִרְאוֹת infin. cum ל praefixo a רָאָה videre. Iis quibus haec interpretatio non placet, dicimus cum Pindaro : Σοφὸς ὁ πολλὰ εἰδὼς φυᾷ. Dicitur Deus a psalmista Deus noster, quia quamvis Deus Deus esset omnium populorum, tamen modo speciali erat Deus Judaeorum, et est Deus christianorum. Propterea bene adnotavit Eusebius : « His docetur novus populus, etiamsi Dominus noster assumptus est, et ad dexteram Patris sedet, attamen totam terram plenam esse et gaudere eius inspectione. Annon illud magnum esse videatur? » M. P. gr. 23, 1350.

Tertium hexastichium : nihilominus miseros homines amat et exaltat.

V. 7. Suscitans a pulvere tenuem,
A stercore erigit pauperem[1] :

1. « Ecce et me, sicut et te, fecit Deus, et de eodem luto ego quoque formatus sum » dicit Eliu ad Job 33, 6.

V. 8. Ut collocet (eum) cum principibus,
Cum principibus populi sui.
V. 9. Qui habitare facit sterilem in domo
(Ut) matrem filiorum laetantem.

V. 7. Erigit a pulvere (a statu miserrimo) tenuem, a stercore (a statu abiecto) elevat pauperem. Quod de populo Iudaico ex Aegypto educto et e Babylonia reducto, et de natura humana in Christo exaltata, et de populo christiano ad populum electum elevato, sed etiam de singulis individuis intelligendum est. מְקִימִי part. hiph. cum Iod campag. a קוּם k. exurgere, hiph. erigere. יָרִים fut. hiph. a רוּם k. altum esse, hiph. exaltare. S. Gaudentius Brixiensis applicat hunc versum ad suam elevationem ad episcopatum in Max. B. 5,968. Eusebius dicit : « Quid enim natura nostra egentius ? Attamen illam excitavit primitiasque nostras extulit, atque in altissimum cœlum sedere fecit. » M. P. gr. 13, 1351.

V. 8. לְהוֹשִׁיבִי inf. hiph. cum Iod campag. et ל praefixo a יָשַׁב k. sedere, hiph. sedere facere. Obiectum ad hoc verbum subintelligendum est e praecedente. Quot pauperes et tenues collocavit Deus in sedem papalem : Sylvestrum II, Gregorium VII, Sixtum V, Gregorium XVI, Pium X. Quibus iure merito etiam accensere possumus Pium VII, qui e humili monacho factus Pontifex vicit victorem mundi. Quot alios viros in Ecclesia constituit Deus patres magnorum populorum, S. Benedictum (hanc minimam inchoationis regulam), S. Franciscum, S. Ignatium etc.[1]. Per principes populi Dei etiam intelligi possunt angeli (Zach. 3, 7-9), e quibus praecipue angelos custodes nobis propitios reddamus.

V. 9. Qui habitare facit sterilem in domo, in familia, cum liberis, ut matrem filiorum laetantem (articulus in הַבָּנִים filios ac si praesentes essent quodammodo indigitat). Quod adimpletur in Ecclesia, quae non corporaliter, sed gratia generat. Cœlibatus ergo hic praedicitur. — Additur in fine in hebraico הַלְלוּיָהּ (Tischendorf) vel הַלְלוּיָהּ, quod LXX et Vulgata posuerunt pro inscriptione psalmi sequentis.

1. Gloriam S. P. Benedicti in cœlis hisce celebrat Petrus Venerabilis :
Inter aeternas Superum coronas,
Quas sacro partas retinent agone,
Emicas celsis meritis coruscus,
O Benedicte!

Ponimus in fine verba Philonis Carpasii († 412), qui ad hunc psalmum se referens ita loquitur de Christo : « Huius altitudinem si quis nosse cupit, *non modo in Deipara Maria humaniter aedificatam* contempletur, verum etiam super caelos in dextera Dei Patris sedentem videre tandem sibi dari deprecetur. » Max. B. 5, 968.

VII. PS. 45 (44). CANTICUM DE NUPTIIS MESSIAE CUM GENTIBUS PER SYNAGOGAM INEUNDIS.

Πλανᾶσθε, μὴ εἰδότες τὰς γραφάς. Verba Christi apud Matth. 22, 29.

Imitantes sanctas illas animas, ad quas olim s. Paschasius Radbertus scripsit : « Per campos scripturarum, indesinenter velut apes flores legitis et per prata virentia quaeque mentis et corporis labore pabula virtutum colligitis, quibus reconditis, ac si in alveario Cordis Christi mella conficiantur [1] », nos accinximus ad interpretandum praedictum psalmum, qui aeque admirabilis videri potest ac praecedentes, cum pro argumento habeat celebrare nuptias Messiae cum genere humano per synagogam peragendas, quod affine est cum argumento Cantici Canticorum. Sacrum Canticum enim celebrat nuptias Messiae cum Synagoga, psalmus hic, ut iam diximus, nuptias Messiae cum genere humana per synagogam peragendas. Est ergo hic psalmus supplementum Sacri Cantici. Amborum denique supplementum est parabola de decem virginibus apud Matth. 25, 1-13, celebrans nuptias Messiae cum fidelibus in vita aeterna. Ex quo non immerito inferri posset, canticum canticorum et psalmum hunc a Salomone composita esse. Audiatur tamen de hac re s. Paschasius Radbertus dicens : Epithalamium primum a Salomone in laudem Christi et Ecclesiae compositum esse legimus ... Sed et David, qui totus fertur musicus fuisse, in hoc psalmo praetulit formam huius dramatis » etc. (M. 120, 1010.) Attamen quoad formam psalmi dicendum est, eam non esse dramaticam, sed in toto psalmo loqui prophetam, sive David, sive Salomon, sive alius sit. Quapropter optime scripsit Origenes : « Ex persona prophetae haec dicuntur ». (M. S. gr. 12, 1427.) Et Eusebius adnotat : « Quidam arbitrati sunt ex persona Patris psalmum sive canticum pronuntiare de verbo... Mihi porro haec ad propheticum chorum referenda videntur » (M. S. gr. 23, 394). Sanctus Augustinus : Hic psalmus, ait « cantatur de sanctis nuptiis, de sponso et sponsa, de rege et plebe, de Salvatore et de his qui salvandi sunt » (M. S. l. 36, 493).

Ponimus I locos discrepantes, sicut communiter, II expositionem ipsam psalmi.

1. Migne S. l. 120, 997.

I

V. 1. לַמְנַצֵּחַ, quod in inscriptione multorum psalmorum et Hab. 3, 19 occurrit constans participio piel a נָצַח, praepositione לַ et articulo, certe non significat in finem εἰς τὸ τέλος sed victori, praefecto, et si agitur de re musica de qua communiter haec vox accipitur, praecentori. Pro in finem occurrit לְנֵצַח Isai. 34, 10 et multo saepius לָנֶצַח. Videas insuper ad initium ps. 19.

עַל־שֹׁשַׁנִּים (sic etiam legitur in inscriptione psalmorum 69 et 80, cfr. etiam 60, 1) non est : pro iis qui commutabuntur ὑπὲρ τῶν ἀλλοιωθησομένων, sed super lilia, sic alludens ad Ecclesiam congregandam ex Judaeis et gentibus, cfr. commentarium nostrum in cantic. canticor. — Pro שֹׁשַׁנִּים etiam scribi posset שַׁשְׁנִים quod significat : ii qui commutantur, sed potius in malum, quod hic non convenit.

Difficillimum est dictu, utrum לִבְנֵי־קֹרַח quod adhuc in inscriptione psalmorum 42, 44, 46-49, 84, 85, 87 et 88 occurrit, vertendum sit a filiis Core vel filiis Core, utrum scilicet filii Core dictos psalmos non tantum cantabant sed etiam composuerant, ut superius Eusebium dicentem audivimus[1]. Core est ille qui cum adversus Moysen seditionem sereret, a terra absorptus est Num. 26, 11. At tres filii eius Aser, Elcana et Abiasaph (Exod. 6, 24) mirabiliter servati sunt. Posteri eorum erant e Levitarum numero, qui in templo divinis recinendis laudibus vacabant I. Paralip. 9, 19. II. Paralip. 20, 19. Omnes psalmi hac nota insigniti amore Theocratiae excellunt.

מַשְׂכִּיל, pro quo Vulg. habet : ad intellectum, LXX εἰς σύνεσιν, in ps. 14, 2 et 41, 2 est participium Hiphil a שָׂכַל significans priore loco intelligentem, eum scil. qui quaerit Deum et posteriore eum qui vera commiseratione ducitur in aegrotum. Optime quadrat haec duplex significatio ad indicandam indolem tredecim psalmorum in quorum inscriptione occurrit, et propterea etiam ibi מַשְׂכִּיל ut participium consideretur et vertatur, inculcans lectori, ut bene attendat ad doctrinam in psalmo propositam. Quod praecipue valet de psalmo hoc, nam si Judaei Messiam accepissent, Paulus de eis scribere non potuisset : « Ζῆλον θεοῦ ἔχουσιν, ἀλλ' οὐ κατ' ἐπίγνωσιν. » Rom. 10, 2.

1. At certo unus tantum est auctor unius psalmi.

Denique שִׁיר יְדִידֹת non est : Canticum pro dilecto, sed : Canticum de rebus amabilibus.

V. 2. רָחַשׁ potius est ebullire quam eructare, et pro nobis est praesens. אֹמֵר est participium : dicens. Insuper pro : velociter scribentis in hebraeo tantum adest מָהִיר festinus.

V. 3. pro Speciosus forma habetur in hebraeo tantum יָפְיָפִיתָ Pual a יָפָה pulchruit (quo verbo utitur Augustinus) aut pulcher, venustus, speciosus fuit.

V. 4. חֲגוֹר non est accingere, sed accinge. Qua de causa sequens חַרְבְּךָ in accusativo ponatur : gladium tuum. Insupere גִּבּוֹר est : heros, quod quidem affine est cum potentissime. — Denique הוֹדְךָ וְהַדָּרְךָ in hebraeo ad hunc versum pertinet, in Vulgata autem in initio sequentis positum est : Specie tua et pulchritudine tua. Dependent haec duo nomina etiam a חֲגוֹר, ita ut totus versus vertendus sit : Accinge ut gladium tuum super femur tuum, heros, gloriam tuam et splendorem tuum. הוֹד gloriosam apparentiam quoad fundamentum internum (graece ὑπόστασις), הָדָר quoad splendorem externum (graece δόξα) designat, cfr. Apoc. 4, 9 cum commentario nostro.

V. 5. Initio huius versus in hebr. reassumitur וְהַדָּרְךָ, quod in Vulgata omissum est. Attamen habet pro eo : intende, quod autem ei sensu non respondet. צְלַח proprie est imperativus; incede. Hic positum est pro adverbio : efficaciter. Vulgata habet pro eo : prospere. רְכַב pro quo Vulg. habet : incede, proprie est : vehitor, sive curru sive equo. Pro : et regna Vulgatae nihil invenitur in hebraico. — Pro et mansuetudinem et iustitiam Vulgata habetur hebraice וְעַנְוָה־צֶדֶק et oppressionem iustitiae. — וְתוֹרְךָ non est : deducet te, sed : et doceat te. — נוֹרָאוֹת non est : mirabiliter, sed : terribilia.

V. 6. בְּלֵב non est : in corda, sed : in cor vel in corde. אוֹיְבֵי הַמֶּלֶךְ non est : inimicorum, sed : inimici regis.

V. 7. מִישׁוֹר potius est : rectitudo quam directio.

V. 8. אֲהַבְתָּ et וַתִּשְׂנָא pro nobis sunt praesentia.

V. 9. אֲהָלוֹת potius est aloë quam gutta ; deest postea et in hebraico ; כָּל־בִּגְדֹתֶיךָ non est : a vestimentis tuis, sed : omnia vestimenta tua ; מִנִּי non est : ex quibus, sed forma poëtica sicut in 39, 15 in fragmento Ecclesiastici a Schechter detecto, pro מִנִּים 150, 4., a מִן, ut videtur, chorda, ergo sonitus chordarum. שִׁמְּחוּךָ pro nobis est praesens : delectant te. Quocum concordat Herkenne

in thesi ab eo defendenda, ut videre est in appendice ad Dissertationem de Veteris Latinae Ecclesiastici (Lipsiae 1897).

V. 10. בִּיקָרוֹתֵיךְ (ut לִיקַחַת obedientiae Prov. 30, 17) non est : in honore tuo, sed : inter charas tuas. — בִּכְתֶם אוֹפִיר non est : in vestitu deaurato, circumdata varietate, sed : in auro vel ornatu Ophirico, hoc est, ornata mundo aureo, supra vestes posito, quasi tota tecta auro, et quidem ophirico (Job 28, 16. Isai. 13, 12. Gen. 10, 29), id est, optimo, ac si aureis ornamentis induta esset, aureis monilibus, annulis, armillis, torquibus et id genus aliis.

V. 12. הִשְׁתַּחֲוֵי־לוֹ non est : adorabunt eum sed : adora eum.

V. 13. בַּת proprie est singularis, sed habet praedicatum יְחַלּוּ in plurali, quia agitur de populo Tyri. Insuper in ante muneribus respondet quidem litterae hebraicae בְּ, latine autem pro eo melius cum poneretur, indicans, incolas Tyri venientes adoratum Messiam simul ei allaturos esse munera. Denique pro omnes Vulgatae nihil adest in hebraeo.

V. 14. כָּל־כְּבוּדָה non est : omnis gloria eius (quod scribi deberet כָּל־כְּבוֹדָהּ), sed : tota magnifica, proprie neutrum : eitel Prächtiges, eitel Pracht, cum adiectivum foemininum inserviat ad exprimendum neutrum, cfr. Ez. 23, 41. Ps. 39, 6. Isai. 4, 6. — בַּת־מֶלֶךְ non est : filiae regis, sed : filia regis. — פְּנִימָה non est : ab intus, sed proprie : intus acc. (ins Innere), ut. Lev. 16, 18., tum etiam intus (im Innern) dat. vel abl. Intelligendum est de thalamo, in quo residet filia Tyri, antequam ducatur ad sponsum regem. — מִמִּשְׁבְּצוֹת זָהָב לְבוּשָׁהּ non est : in fimbriis aureis, sed : ex ocellatis auri vestimentum eius, cum habeat filia Tyri vestem auro intertextam. Nomen מִשְׁבְּצוֹת ocellata, tesselata, Wirkerei, iam occurrit Exod. 28, 11. 13. 14. 25.

V. 15. לִרְקָמוֹת non est : circumamicta varietatibus, neque coniungendum est cum praecedente, ut fit in Vulgata, sed : vestibus acu pictis, vestibus phrygianicis, cum phrygianis (Junius), aulaeis acu pictis, in buntem Schmuck, parée de broderies. לְ hic statum indicat ut in לְהַדְרַת in II. Paralip. 20, 21, pro quo alias בְּ usurpatur ut 110, 3. — תּוּבַל non est adducentur, sed : adducitur. — Post regi Vulgatae ponendum esset virgula ut indicat Ole vejored. Quod postea sequitur vertatur : Virgines post eam, sociae eius, adducuntur tibi.

V. 16. verba pro nobis sunt praesentia. Porro בְּשִׂמְחָה proprie est : in laetitiis, non tantum laetitia, ubi pro in melius pone-

retur cum. Insuper תְּבֹאֵינָה non est : adducentur, sed : intrant. — Denique הֵיכַל hic non est : templum, sed : palatium, domum scilicet regis. Designat autem Ecclesiam catholicam.

V. 17. יִהְיוּ certe non est : nati sunt ; sed : erunt.

V. 18. אַזְכִּירָה non est : memores erunt, sed : memor ero, memorabo, celebrabo.

II

Psalmus duas habet partes principales, prima respicit sponsum (v. 2-10), secunda sponsam (v. 11-18). Ambae partes simul sumptae constant sacrato numero septem incisorum.

Prima pars quatuor habet incisa.

Primum incisum : Studium poëtae celebrandi eum qui superat pulchritudine homines.

V. 2. Ebullit cor meum verbum bonum,
Dicens ego : opera mea regi dico[1],
Lingua mea calamus scribae festini,
V. 3. Speciosus es prae filiis Adam,
Diffusa est gratia super labia tua,
Propterea benedixit te Elohim in aeternum.

Inspiciamus singula.

V. 2. Ebullit cor meum verbum bonum aequat : grata et iucunda gestit dicere cor meum. Et quidem iure merito, hic psalmus « introducit enim sponsum in orbem terrarum, et describit sponsam valde gloriosam, et decoratam innumeris varietatum virtutibus ». S. Paschasius Radbert, M. S. l. 120, 1002. Verbum רָחַשׁ quod tantum hic in V. T. occurrit, in syriaco significat : scaturit, ebullit, proprie de fonte, sed in sensu translato etiam de sermone, e corde sicut aqua e vena emanante, adhibetur. Scriptores ecclesiastici illud de eructatione ciborum intelligunt, teste Euthymio Zigabeno dicente : « Cernens propheta quod magna quaedam de Christo sibi erant praedicanda, exordio quodam utitur, dicens, sermonem se bonum ac salutarem prolaturum. Tu vero etiam emphasim considera verbi Eructavit (ἐξηρεύξατο). Illud enim nobis indicare videtur, quod quemadmodum eructatio, etiam a nolentis ore exit, humano nimirum ventre eam vi quadam efflante, ita et hic psalmus de Dilecto ab

1. a dicare intelligentiae causa positum.

intimo Prophetae nostri corde emissus sit, superna quadam vi ita impellente, cum suavissimo sancti Spiritus epulo refertus esset [1]. » Quae conclusio optima est, de cetero comparatione inspirationis cum scaturigine multo melius conveniente. Verba : dico ego annuntiant propositum poëtae, quod in eo consistit, ut dicet operationem, activitatem suam, regi Messiae. « Profero autem, inquit, Christo Regi opera mea, hoc est, prophetias quas de eo afflatus Spiritu pronuntio. Prophetae enim opus est prophetias contexere. » Euthymius ut supra. Et cum hic agatur de celebrando Messia, ad quod faciendum poëta tanto studio se impulsum esse dixit, bene adiungit : Lingua mea velociter currit, scilicet dictante Spiritu sancto, ut stylus promptissimi scribae. « Quodque mirabile admodum est, linguam suam non manum scribae eruditi, neque scribam vocat, sed calamum scribae velociter scribentis, declarans linguam propheticam, alterius ea utentis, sancti videlicet Spiritus, instrumentum esse. Is sane scriba, cuius stylus et calamus erat prophetarum lingua » etc. Euseb. 23, 395. Qua de re etiam consulatur Euthymius.

V. 3. Jam incipit vates celebrare Messiam 1° ob eius speciem, 2° ob gratiam sermonum eius, propter quam eum a Deo benedictum dicit in aeternum.

Dicit ergo primo, Dilectum speciosum esse prae filiis hominum. Ad quod explicandum optime faciunt versus 10^{us} ad 16^{um} capitis 5^{i} Cantici Canticorum, de quibus consulatur commentarium nostrum in s. Canticum. Ibi versu 10° Dilectus dicitur Electus ex millibus, ad quod optime s. Beda adnotavit : « Electus ex millibus, quia ex omni genere humano unus Mediator Dei et hominum, per quem mundus reconciliatus, assumptus est a Deo, solus mortalium de coelo audire dignus fuit : Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui. » Bene etiam ad hunc locum scripsit Eusebius : « Exinde vero canticum in Dilecti personam orditur, sicque compellat ipsum : Speciosus es forma, pulcher es, et pulchritudine ornatus es, sive pulchritudine decoratus es, o Dilecte, super filios hominum. Etiamsi enim tute unus sis e numero filiorum hominum, atque iis qui in terra versantur annumeratus sis, at nulla pulchritudo est tuae comparanda. » M. S. gr. 23, 395.

Secundo laudatur Messias ob gratiam sermonis eius, quo non tantum veniunt verba, quae procedebant ex ore eius sacratissimo,

1. Migne S. gr. 128, 490.

sed etiam praedicatio evangelii. Ad quod explicandum praeprimis faciunt verba s. Cantici : « Labia eius lilia, Distillantia myrrham primam. » 5, 13. Et quod dixit s. Petrus ad eum : « Verba vitae aeternae habes. » Joh. 6, 69. Propterea et homines de eo dicebant : « Numquam sic locutus est homo, sicut hic homo. » Joh. 7, 46. Propterea sancti Patres tanti faciebant eloquia Domini Nostri, et auctor de Imitatione Christi ea cum Corpore eius sanctissimo comparat l. 4. c. 11.

De virtute evangelii autem valent verba Christi ipsius : « Si quis sermonem meum servaverit, non gustabit mortem in aeternum. » Joh. 8, 52. Ad quod illustrandum imprimis inservit pars secunda ps. 19 (18), 8-15 et tot effata ps. 119 (118). Bene etiam dicit s. Paschasius Radbert. : « Gratia divini verbi de fonte oris Christi manavit, totumque replevit mundum. » M. S. l. 120, 1024.

Additur in fine versus, Messiam ob gratiam sermonis benedictum esse a Deo in aeternum, quod dupliciter intelligendum est, scil. de genere humano, quod Christus recepturus erat in mercedem pro opere Redemptionis, sicut canunt psalmi 2 et 110, et de laude, quam ob opus Redemptionis accipit in aeternum in coelo, teste Apocalypsi 5, 8-12., prout videre est in commentario nostro.

Positis causis laudis Messiae, invitat vates in secundo inciso Messiam, ut revera utatur potentia sua ad obtinendam victoriam boni de malo. Dicit ergo :

V. 4. Accinge ut gladium tuum super femur tuum, o heros,
Gloriam tuam et splendorem tuum :
V. 5. Et splendore tuo efficaciter vehitor
In bonum [1] veritatis et oppressionis iustitiae
Et doceat te terribilia dextera tua.
V. 6. Sagittae tuae acutae, populi sub te cadent —
Feriuntur [2] in corde inimici regis.

Trutinemus singula.

V. 4. Invitat ergo Vates Messiam, ut cingat ut gladium super femur suum gloriam suam et splendorem suum. Quae magis explicantur in apocalypsi 6, 2 : « Et vidi, et ecce, equus albus, et qui sedebat super illum, habebat arcum, et data est ei corona, et exivit vincens ut vinceret », ubi sermo est de Christo per doctrinam suam subiugante sibi mundum, et 19, 16 : « Et habet in

1. עַל־דְּבַר super verbum aequat propter, in bonum.
2. Intelligentiae causa intercalatum.

vestimento et in femore suo scriptum : Rex regum et Dominus dominantium », ubi Christus ut victor de decem regibus exhibetur. Invitatur Messias ut cingat gladium super femur, sicut mos fert. Quisnam hic gladius sit, determinatur verbis : gloriam et splendorem tuum, de quibus videsis in locis discrepantibus dicta. Et quidnam veniat per gloriam et splendorem eius dicit Apocalypsis verbis : Rex regum et Dominus dominantium. In hoc ergo consistit gloria eius et splendor. Quia ergo talis est, invitatur, ut exeat vincens et ut vinceret, id est, ut in expeditione sua bellica eat de victoria ad victoriam. Consulatur commentar. nostrum in Apocalypsin et commentar. nostrum in Canticum ad 2, 4. « Exivit, inquam, sedens super equum, id est, processit per discipulos ad convertendum homines. » St. Victorin. Et dicitur in Oratione s. Patritii : « Deus, qui ad praedicandum Gentibus gloriam tuam » etc. Continuatur inceptum argumentum in

V. 5°, ubi Messias invitatur, ut equitet per terras, diffundens veritatem, liberans iniuste oppressos denique faciens terribilia.

Primum fecit diffundens per praedicatores veram religionem, ita ut templa idolorum corruerint et ubique terrarum aedificata sint templa vero Deo dicata.

Secundum fecit diffundens per praedicatores suos doctrinam de aequalitate omnium hominum, ita ut soluta sint vincula servitutis et societas hominum temperata sit legibus verae humanitatis. De qua re testimonium dant Actus Apostolorum, Epistolae Novi Testamenti, Epistola ad Diognetum, opus s. Augustini De moribus Ecclesiae catholicae, opus Josephi de Maistre dictum Du Pape, illud Mgr. Gaume nuncupatum Les trois Rome, denique historia Ecclesiae et Mundi veridica.

Quaenam denique opera terribilia patranda erant ad hoc efficiendum, praedixerat Apocalypsis.

Sic affectum habuit et habebit praedictio s. Zachariae : « Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. » Et dictum s. Paschasii Radberti : « Processit prospere per se, processit per sanctos praedicatores, et dilatatum est regnum ipsius, et adhuc hodie dilatatur, cum subduntur ei omnes gentes. » 120, 1029. Et dictum s. Thomae : « Christus fuit in lumen et salutem gentium per discipulos suos quos ad praedicandum gentibus misit. » Summa Th. P. 3. qu. 42 ad 1.

Adhuc magis explicatur argumentum inceptum

Versu 6, ubi populi inimici Regis Christi sagittis eius

acutis in corde feritum iri dicuntur, ita ut cadant sub eum et eius amplectantur fidem. Dulces hae sagittae, quamvis acutae sint, dicantur, et oretur Christus, ut eas magna copia emittat donec conversi sint ad eum omnes. Hoc imprimis etiam intelligatur de Roma, capite et corde imperii Romani et superstitionum ethnicarum, quae per Christum « dispositione mirabili facta est metropolis Religionis suae et civitas sacerdotalis et regia, per sacram beati Petri sedem caput orbis ». S. Leo M. Diffuse, sed pulcherrime de hac re agit celeberrimus poëta Aurelius Prudentius († 413) in duobus libris contra Symmachum in Migne S. l. 60, 111-275. Libet apponere ex libro 2° versus 440 et 441 :

« Gratemur, jam non dubitat : nam subdita Christo
Servit Roma Deo, cultus exosa priores. »

« Omnino sagittae Domini nisi potentissimae forent, in subito non omnem mundum servientem Christo prosternerent, neque corda omnium valide terebrarent. » S. Pasch. Radb. 120, 1031. « Felix cor quod talibus quotidie afficitur sagittis, talibus vulneratur spiculis, et concrematur incendio divini amoris. » S. Pasch. Radb. 120, 1032.

Descriptis effectibus sacri belli Messiae, describitur Messias ipse in tertio inciso.

V. 7. Solium tuum, Elohim, permanet [1] in saeculum et in sempiternum,
Sceptrum rectum est [1] sceptrum dominationis tuae.
V. 8. Diligis iustitiam et odio habes iniustitiam,
Propterea unxit te Deus, Deus tuus,
Oleo laetitiae prae consortibus tuis.

Admirati sumus in praecedentibus magnificentiam Messiae, indicat poëta nunc versu 7° eius originem, dicens, eum esse Deum : propterea eius regnum permanere in aeternum et eius dominationem esse dominationem rectitudinis.

De primo bene scripsit s. Bruno Astensis : « Quem in titulo dilectum et nunc in hoc psalmo regem dixit, modo apertius et manifestius Deum vocat, quatenus Judaei Scripturarum depravatores, neque de Salomone, neque de alio quolibet praeter Christum exponere valent », 164, 856. Et s. Paschasius Radbertus : « Non quod prior aut posterior Deus a Deo sit, cum Pater et Filius unus

1. Intelligentiae causa positum.

et sempiternus sit Deus : sed mysterium incarnationis prophetica vox declarat...; ac per hoc in utraque natura unus est Christus. » 120, 1033-1034. Mysterium autem unionis utriusque naturae in Christo in unam personam paucis tantum Veteris Testamenti electis clare patebat. Videbantur in coelo nocturno Veteris Testamenti duo sidera promissionis, unum annuntians Jehovae descensum, alterum filii Davidis ascensum, quae coniuncta effecerunt sidus novum, Jesum Christum, fugans noctem Veteris Testamenti et adducens diem Novi Testamenti. Quae cum ita sint, impossibile est, ut regnum Christi, id est, Ecclesia, destruatur, sed manet in aeternum, ut attestatur Deus apud Danielem 7, 27 et in epistola ad Hebraeos 1, 8-9 et innumeris aliis scripturae locis.

Secundum autem fluit ex primo, nam cum Deus sit sanctus amor, regnum eius non potest esse nisi regnum rectitudinis, id est observationis legum tum naturae tum revelationis. « Virga, inquit, et sceptrum regni tui rectum est, et a iustitia et aequitate non recedit. Neminem sine causa percutis, neminem qui flagellis dignus sit, impunitum abire permittis. » S. Bruno Astensis 164, 856. — Continuatur idem argumentum.

Versu 8°. Regnum Messiae pro fine habet iustitiam et sanctitatem hominum, regibus terrestribus divitias, potentiam, honorem concupiscentibus. Rex Messias ergo ducitur amore hominum, reges terrestres amore proprio, uti ostendit Pharao, Nabuchodonosor Judithae, Nabuchodonosor Danielis, Alexander Magnus, Imperatores Romani ethnici etc. Regna mundi sunt opera hominum vel etiam Satanae, regnum Christi originem trahit a coelo, ut eruitur e Daniel c. 2 et 7. Joh. 18, 36. Apoc. c. 12-c. 14. Baruch 3, 9-4, 4.

Propterea dicit hic Vates ad Messiam : Diligis iustitiam et odio habes iniquitatem. Sed quamvis principes terrestres semper intenti sint dilatare proprium regnum, adiuti a Satana, a propria concupiscentia et a falsa philosophia, sicut ostendit Apocalypsis c. 12-c. 14 et c. 17-c. 20, nihilominus multo superantur a Messia et extensione et duratione dominationis, nam ipse est rex regum et dominus dominantium et regni eius non erit finis [1]. Quapropter additur hic : Propterea unxit te Deus, Deus tuus (cfr. Apoc. 2, 7. 3, 2. 12), oleo laetitiae, id est, gaudiis regiis, prae consortibus tuis, id est, prae omnibus regibus et principibus,

1. Libet hic meminisse verba s. Gregorii VII. morientis : Dilexi iustitiam et odivi iniquitatem, propterea morior in exilio.

cfr. Cantic. 1, 8 (7)-2, 7. « Unctus quippe Christus est oleo exsultationis et unguento Spiritus Sancti prae omnibus participibus suis (Hebr. 1, 9), quia in eo totus fons unctionis a divinitate sua in humanitatem siquidem in uno eodemque Christo effluxit. » S. Pasch. Radb. 120, 1036. Melius quam haec verba explicant dominationem Christi super reges terrae verba s. Augustini : « Attende gloriam Crucis ipsius. Jam in fronte regum Crux illa fixa est, cui inimici insultaverunt. Effectus probavit virtutem : domuit orbem non ferro, sed ligno. » In Breviar. in Coena Dni. Et precatur Ecclesia in Parasceve : « Oremus, dilectissimi nobis, pro Ecclesia sancta Dei : ut eam Deus et Dominus noster pacificare, adunare, et custodire dignetur toto orbe terrarum : subiiciens ei principatus et potestates : detque nobis quietam et tranquillam vitam degentibus, glorificare Deum Patrem omnipotentem. » Cfr. etiam ibidem Orationem pro Imperatore Romano.

Pergit vates ostendere in quarto inciso, quomodo Deus Messiam unxerit, id est, ornaverit pro die nuptiarum eius qui est dies laetitiae cordis eius amantissimi, cfr. Cantic. 3, 11.

V. 9. Myrrha et aloë, casiae omnia vestimenta tua,
E palatiis eburneis fides (sonitus chordarum) te delectant.
V. 10. Filiae regum inter charas tuas,
Astat regina ad dexteram tuam
In auro optimo ophirico.

Hic de nuptiis Messiae cum genere humano per synagogam sermo est, simulque hoc incisum transitum format a prima ad secundam partem psalmi.

In versu 9° primo describuntur vestimenta Messiae quae tota bonis odoramentis constare dicuntur, secundo palatia, in quibus versantur filiae et regina ei adducendae, e quibus iam iam eum sonitus chordarum delectat. — Vestimenta odorifera designant proprietates Messiae, quibus attrahit sibi animas rectas. Hoc sensu dicitur in Cantico Canticorum 1, 3 (2) :

« Odoratui unguenta tua bona sunt,
Unguentum effusum nomen tuum,
Ideo virgines diligunt te. »

Quo in loco odoratus activum habens sensum eos significat qui capaces sunt percipiendi suavitatem ex Christi unguentis, qui iidem cum virginibus in tertia parte versus sunt. Tota autem

vestimenta Messiae odorifera dicuntur in psalmo, sicut nomen eius unguentum in Cantico, quia notio Messiae manifestata semper acquirit corda hominum, qui non sunt praeiudiciis praeventi vel vitiis dediti. Propterea canit Ecclesia :

« Jesu, dulcis memoria,
Dans vera cordis gaudia » etc.

Tria nominatim memorantur aromata, forsitan ad indicandum, totam Trinitatem per Christum operari ad coniungendos cum eo homines per sacras coelestes nuptias.

Myrrha ut planta est frutex similis arbori, pertinens ad familiam therebinthorum. Bonum spirat odorem, fert quoque resinam valde odoriferam, quae in Exod. 30, 23 primum locum occupat inter « prima odoramenta », quae ad sanctam unctionem adhiberi debebant. Hic nomine myrrhae intelligere possumus divinitatem Messiae, quae fundamentum est omnium charismatum eius. Cfr. Cantic. 1, 13 (12). Eccli 24, 20., et quia Aloë sine dubio humanitatem eius significat.

Aloë אֲהָלוֹת alias etiam אֲהָלִים iam in ore Balaam Num. 24, 6 (ubi Vulgata illud tabernacula interpretatur) occurrit, est arbor sat alta ligni pretiosi, quod ob odorem fortem et amoenum pro incenso et pro condiendis corporibus mortuorum adhibebatur Joan. 19, 39. Qua de causa hic non inepte pro symbolo humanitatis Christi accipitur. Cfr. Cantic. 4, 14. — Etiam

Cassia ob eius bonum odorem hic posita est. — Accipi potest pro symbolo omnium a Messia ad salutem hominum peractorum.

« Idcirco tria ista vobis, myrrham scilicet, et guttam, atque casiam, Spiritus Sanctus fragrare specialiter significavit, ut in omnibus unguentis vestimentorum Trinitas Deus fide sentiatur integra et intellectu odoretur impraesentiarum perfecto..., ita ut merito per hoc sanctae incarnationis Christi virtus et suavitas perpetuae benedictionis aromatizans intelligatur. » S. Paschas. Radb. 120, 1036-1037.

Secundo dicitur Christus delectari sonitu chordarum e palatiis eburneis veniente. Nos per palatia eburnea nihil aliud intelligi posse credimus, nisi ecclesias per diversa terrarum loca existentes, quas propheta iam veris Christo cultoribus refertas videt. Quae bene comparantur palatiis eburneis : 1° quia sunt domus regiae Christi eucharistici, cfr. III. Reg. 22, 39. Amos 6, 4. Cantic. 7, 5. — 2° quia sunt pulcherrimi ornatus terrarum, ut patet. Videsis

Kuhn, Kunstgeschichte. — 3° quia praedicant sanctitatem et immortalitatem ad quod hic alluditur colore albo et duritia eboris. Per fides autem sonantes in illis palatiis eburneis et Sponsum coelestem delectantes, nihil aliud intelligere possumus quam fibras cordium sanctarum animarum concordantes et concinentes cum fibris sacratissimi Cordis Jesu, quo cantus Universi dirigitur ad laudem Dei. Quod bene illustratur dicto s. Fr. Salesii : « Si scirem esse in corde meo fibram non totam temperatam amore Dei, eam exterminarem. » — Cum dicto optime convenit

Versus 10[us], ubi de regina et filiabus a Messia dilectis sermo est. Per reginam intelligatur oportet Ecclesia conversa e Judaeis tum initio religionis christianae, tum in fine mundi, quae eadem est cum Unica illa in Cantic. 6, 9 (8), et per filias aliae nationes conversae, de quibus s. Cantic. 6, 8 (7) dicit : « Sexaginta sunt Reginae, et octoginta concubinae, et adolescentularum non est numerus. » De qua re consulatur Commentar. nostrum in Cantic. « Regina, id est, Ecclesia primitiva. » S. Bruno Carthus. 152, 831. « Ecce Roma, ecce Carthago, ecce aliae et aliae civitates filiae regum sunt. » St. Augustin. ad h. l. Hae omnes sunt charae Messiae et stant ad dexteram eius, quia per eas dirigit cursum rerum humanarum. Adstant ei in auro optimo ophirico, quo earum praestantia prae ceteris nationibus exprimitur. Quid revera sunt nationes ethnicae, quamvis abundent numero, comparatae cum Christianis ?

Sic exhibito successu expeditionis bellicae Messiae Sponsi, vertit se poëta ad Sponsam tempore quando nondum conversa est. Incipit hic secunda pars psalmi, tribus constans incisis. In

Quinto inciso invitantur synagoga et gentilitas, ut audiant et sequantur vocem Messiae.

V. 11. Audi filia, et vide et inclina aurem tuam
Et obliviscere populum tuum et domum patris tui.
V. 12. Et concupiscet rex decorem tuum,
Quia ipse est Dominus tuus : adora ergo eum.
V. 13. Et filia Tyri cum munere vultum tuum deprecabuntur [1],
Divites populi.

V. 11. Hic versus revocat in mentem omnia quae fecit Messias per incarnationem et opus redemptionis peractum in populo Judaeorum ut hunc populum converteret ad se, et quod in fine

1. Videas p. 211 ad v. 13.

saeculorum per effusionem gratiarum in eum ad eumdem finem faciet. Nominatur hic synagoga filia, quae antea regina dicta est, affectionis et instructionis causa. Monetur tum synagoga, ut obliviscatur populum suum et domum patris sui, id est, ut exuat se affectibus nationalibus et terrestribus et spiritualis evadat. « Obliviscere populum tuum, id est, carnales observantias populi tui Judaici. » S. Bruno Carthus. 152, 831. Pari modo iussus erat Abraham exire a terra sua et a cognatione sua et a domo patris sui, ut fieret pater populi electi (Gen. 12, 1). Ad quod s. Ambros. adnotavit : « Satis fuisset dixisse, de terra tua... Sed ideo addidit singula, ut eius affectum probaret » etc. De Abr. l. 1. c. 2. Et pari modo etiam omnes qui volunt sequi Christum, omnes terrestres affectus abdicare et relinquere tenentur, ut Christus in multis evangelii dicit locis. Quantum damnum afferat principium nationalitatis, si nimis audiatur, patet e schismate Graecorum, ex historia sic dicti schismatis Avenionensis, ex invidia Regum Galliae in sacrum Imperium Romanum et domum Austriae, ex historia sic dictae reformationis seculi 16i etc. Quanti mali nunc causa est Italiae ! Ametur ergo patria, sed magis Ecclesia !

V. 12. Si synagoga supra postulatum fecerit, Messias eam valde adamabit eamque virtutibus exornabit, ut valde sibi placeat, quia ipse revera est Deus omnipotens, et Dominus eius modo speciali, quia eam elegit et vocavit. Propterea naturale est, ut ipsa eum pro Domino et Deo suo agnoscat et vereatur. Magno quidem tenebantur pii inter Judaeos desiderio Messiae, ut probant initium Cantici Canticorum, scripta prophetarum et Christus ipse in Evangelio, non autem alii. De cetero Imperativus in fine huius versus edicit quod pro certo eventurum erat et revera evenit, nam primi qui crediderunt in Christum fuerunt Judaei. De magno amore Messiae pro Synagoga magnifice loquitur Cantic. 8, 5-7. « Urget unda flammam. » St. Petr. Chrysolog. Sed non Judaeorum, sed etiam gentium Deus est Christus, ut dicitur

Versu 13°, ubi Tyrus pro omni gentilitate posita est, et ubi dicitur, gentilitatem cum muneribus, et quidem ditissimos ex gentilitate venturos esse ad Ecclesiam, quod potissimum adimpletum est conversione Imperatorum, regum et principum, uti Constantini Magni, Clodovaei, Ethelberti, Stephani Hungarici, et vita vere christiana aliorum, uti Theodosii Magni, s. Henrici, s. Ludovici, s. Ferdinandi, s. Canuti, s. Erici, s. Olai. Quam ardenter desidera-

bat Christophorus Columbus ut mundus a se detegendus has sacras nuptias iniret ! Salus autem ex Judaeis. « Neque enim in universo mundo tanta fidelium messis exsurgeret, si de manu Domini super rationalem terram illa electa grana praedicantium non venissent. » S. Gregor. M. Hom. 29. in Evang.

Descripta vocatione et synagogae et gentilitatis, celebrantur earum nuptiae cum Messia in Sexto inciso.

V. 14. Tota gloria est filia regis intus,
Ex fundis aureis est vestis eius.
V. 15. In phrygianis deportatur ad regem,
Virgines post eam :
Amicae eius adducuntur ad te.
V. 16. Deportantur cum summa laetitia et exsultatione,
Intrant in palatium regis.

Loquitur hic poëta de ornatu virtutum et synagogae et populorum ex gentilitate, quando nuptiis sacris coniunguntur cum Messia, et de magno gaudio quod hac de re est et in coelo et inter Dei cultores in terra.

Hoc incisum multis s. Cantici locis simile est. Mundus muliebris hic denotat perfectionem spiritualem. Ut mihi videtur, hic non tantum de perfectione acquisita synagogae et gentilitatis, sed etiam de acquirenda sermo est, cfr. Dan. 1, 4.

V. 14. Filia regis hoc in versu est synagoga, quae dicitur sse intus, id est, in domo sua vel parentum, unde sponsae deducebantur ad sponsum. Certe iam ante actum conversionis convertendus aliquam perfectionem habere debet ob praeparationem ad eumdem actum. Cfr. Cantic. 5, 2-6, 9 (8). Propterea vestis filiae Regis hic dicitur fuisse e fundis aureis. Certe sancta multitudo quae post Ascensionem Domini in coenaculo exspectabat descensum Spiritus Sancti, praecipue Maria et Apostoli, iam Deo valde placebant, adhuc magis placituri post acceptum Spiritum Sanctum. « Utres novi erant, vinum novum de coelo exspectabatur et venit. » St. Augustin. in Breviar. feria II Pentecostes. Maior perfectio quam acquisivit sancta illa multitudo per descensum Spiritus Sancti describitur

V. 15. verbis : in phrygianis deportatur ad regem Messiam. Effectus autem interni Spiritus Sancti in die Pentecostes etiam se manifestabant externe, prout videre est in actibus Apostolorum. « Et tunc hoc erat signum, quicumque accipiebat Spiritum sanctum,

subito impletus Spiritu, linguis omnium loquebatur. » S. Augustin. ut supra. Virgines, id est, populi, de quibus hic mentio fit, tantum tardius adducti sunt ad Messiam, prout notum est ex historia. Descriptio hic ad modum celebrandi nuptias apud Israëlitas facta est, quo virgines comitabantur sponsam, quando e domo propria ad domum Sponsi ducebatur. Ultima verba versus : Amicae eius, scil. filiae regis, adducuntur ad te, o Messia, sunt expressio gaudii prophetae de conversione gentium ad Messiam. Quod etiam valet de

Versu 16°. Revera fuit dies laetus et festivus festum Pentecostes, quo per descensum Spiritus Sancti ecclesia fundata est. Illa die primitiae Judaeorum adductae sunt ad Christum. « Ab hoc igitur die tuba evangelicae praedicationis intonuit. » S. Leo in festo Pentecostes. Tunc intrarunt primitiae Judaeorum in palatium regis Messiae. Fuit item dies laetus et praeclarus dies Natalis Domini anni Domini 496, quando per baptismum regis Clodavaei et multitudinis Francorum tota illa natio intravit in palatium, id est, in Ecclesiam Christi. Item dies Natalis Domini, quo s. Augustinus, Anglorum Apostolus, plus quam decem millibus Anglorum baptismum contulit. Sic decursu seculorum multae virgines post filiam regis adductae sunt ad Christum.

Laetificatus de tam festiva visione, propheta in Septimo inciso vota facit pro sponsa.

V. 17. Loco patrum tuorum sint filii tui,
Constituas eos principes in omni terra.
V. 18. Memorabo nomen tuum in generatione et generatione,
Propterea populi laudabunt te in seculum et in aeternum.

V. 17. Acclamationem poëta subiungit, fausta precantem : Patrum tuorum loco sint filii tui ! Filii tibi nascantur tales, qui patres virtute, dignitate et gloria referant, regnumque perpetua generationum serie perducant. « Pro Abraham et Isaac et Jacob et pro aliis reliquis qui illi placuerunt in vetere testamento, nati sunt discipuli, et nos qui per ipsos credidimus » etc. Origenes M. S. gr. 12, 1431. Constituas illos principes in omni terra ! regni tui regionibus diversis illos praeficias. Quo regnum dilatandum supponitur, ut dicitur psalmis 2 et 110, Isa. 54, 2. Dan. 2, 35. 44. 7, 15. 22. 27. Zach. 2, 5-9 (1-5). Act. 1, 8. Marc. 16, 20 etc. Optima est adnotatio s. Chrysostomi : « Neque enim poterunt ea a

nobis esse conficta dicere, cum non nos, sed qui Christum crucifixerunt, libros nobis praebeant, qui de eius potestate loquuntur. » M. S. gr. 55, 183.

V. 18. Celebrabo nomen tuum, o ecclesia primitiva ex Judaeis, in perpetuum. Ex his verbis videmus poëtam loqui nomine populi Dei in Vetere Testamento, qui continuatur et perficitur populo christiano. Propter hanc dispositionem divinam populi redempti omnibus temporibus celebrabunt primitivam ecclesiam ex Judaeis collectam. Conferatur pulcherrimum caput 49^{um} Isaiae. « Mirabilis quidem gloria et ecclesiarum summum praeconium, inter tam multiplices hominum successiones, numquam finem laudis habere. » S. Paschas. Radb. M. S. l. 120, 1054. Perpetuitas Ecclesiae optime cognosci potest e « Serie episcoporum » confecta a Gams et e « La Gerarchia cattolica ». « Inter eximia doctrinarum pascua, inter uberrimos deliciarum favos habita est collatio de psalmo quadragesimo quarto. » S. Paschas. Radb. ibid. 996.

VIII. PS. 87 (86). CANTICUM DE SIONE, MATRE OMNIUM POPULORUM.

Qui locutus est per prophetas.

Textus sacrae scripturae unicus est et semper sequendus. Si pro textu originali vel quasi-originali diversae extant lectiones, illa accipiatur quae ab optimis codicibus et a contextu commendatur. Omnino autem ut stulta et impia reiiciatur sic dicta critica superior, quae totius textus sacrae scripturae authenticitatem in dubium vocat. Videas Grimme, Psalmenprobleme. Discrepantiae inter textum originalem et versiones ortae sunt diversis ex causis. Interdum interpres inspiratus dici debet, ex. g. ponens ἀνατολή pro צֶמַח Zach. 6, 12, sic indicans unionem Divinitatis cum Messia. Item ponens σῶμα pro אָזְנַיִם ps. 40, 7, sic magis determinans obedientiam Messiae, quam lectionem propterea sequitur S. Paulus in ep. ad Hebr. 10, 5. Item vertens עֹז αἶνον ps. 8, 3, sic magis adaptans textum laudationi Messiae ex ore infantium, quam versionem admisit Christus ipse, teste Matthaeo 21, 16. Aliae autem discrepantiae proveniunt ex arbitrio interpretis, ex. g. versio שְׁנָתִי per somnium eius Dan. 2, 1, cum חֲלוֹם sit somnium. Aliae e mutilatione verborum. Sic ex. g. interpres legens pro לַמְנַצֵּחַ praeposito (II Chr. 2, 11. 17. 34, 13) לְנֶצַח vel לָנֶצַח vertit εἰς τὸ τέλος in finem. Aliae e confusione consonantium, ex. g. versio מְזָרִים per ἀλλοτρίων מְדָרִים ps. 19, 14. Aliae ex confusione vocalium, ex. g. bene habet Vulgata in Cantic. 5, 13 genae עֲרוּגֹת, quamvis in hebraico legatur עֲרוּגַת. Interdum interpres male coniunxit verba, ex. g. legit לְמוֹתָם in ps. 73, 4 pro לָמוּ תָם. Interdum simul occurrunt varia sphalmata, ex. g. in ps. 4, 3 gravi corde? ut quid = כָּבְדוּ לֵב לָמָּה pro כְּבוֹדִי לִכְלִמָּה gloria mea in contumeliam. Interdum separavit verba, ex. g. in ps. 110, 3 fecit ex unico vocabulo מִשְׁחָר aurora substantiv. שַׁחַר cum praecedente praepositione מִ. Interdum male coniunxit sententias, ex. g. posuit in ps. 40 (39), 9 : Ut facerem voluntatem tuam, Deus meus, volui, et legem tuam in medio cordis mei, pro : Facere voluntatem tuam, Deus mi, desidero et lex tua est in medio viscerum meorum. Interdum confudit scriptor versionis verba similia, ex. g. in Apoc. 5, 12 ponens divinitas pro divitias. Interdum recte verti interpres secundum literam, sed non secundum

contextum, ex. g. ponens in ps. 78 (77), 21 et distulit pro וַיִּתְעַבָּר quod tamen significat : et excanduit. Interdum expressit interpres symbola verbis propriis, ponens ex. g. susceptor pro מָגֵן scutum ps. 3, 4, adiutor meus pro צוּרִי petra mea ps. 19, 15. Interdum posuit interpres verbum finitum pro infinito, ex. g. dixit Dominus pro נְאֻם יהוה. Famosum כַּאֲרִי sicut leo in ps. 22 (21), 17 exortum est ex abbreviatione Iod finalis. Est maximum sphalma in Biblia hebraica. Interdum interpres adiecit aliquid explicationis causa, ex. g. ad pulvis in ps. 1, 4 : quem proiicit ventus a facie terrae; interdum nesciens extendit nimis citationem, ex. g. in ps. 13 (14) falso accipit pro citatione partem versus 3[i] a sepulchrum usque in finem, etc. etc.

Quibus notatis ad probandum modum nostrum in explicandis psalmis, pergimus ad illustrandum psalmum 87 (86).

Argumentum huius psalmi est : Sion aliquando centrum religionis universalis et mater omnium populorum erit. Cfr. Isai. c. 21-22, 14. 30, 6-7. 44, 5.

Hic psalmus forsitan compositus est ab Isaia anno 714 a. Chr. post stragem exercitus Assyriorum coram Ierusalem, tradendus filiis Core, ut ipsum decantando annuntiarent futuram gloriam montis Sion, quod magnopere ad fovendam pietatem invitabat. Vel forsitan, ut alii volunt, iam compositus est a quodam corahita tempore regis Josaphat, ut ps. 46-48.

Loci discrepantes.

Versu 1° יְסוֹדָתוֹ non est : fundamenta eius, sed fundatio eius, scil. montis vel civitatis Sion facta a Deo, cfr. Isai. 54, 11, posita est in montibus a Deo electis, ac propterea sanctis.

Versu 3° omittit Vulgata in fine סֶלָה.

Versu 4° פְּלֶשֶׁת non est : alienigenae, sed : Philistaei. — Pro כּוּשׁ Aethiopia habetur in Vulgata populus Aethiopum. עִם ante a potius est : cum, quam : et. — Denique pro : hi fuerunt illic Vulgatae habetur in hebraeo זֶה יֻלַּד־שָׁם hic natus est ibi.

Versus 5[us] : Ad Sion autem dicetur : Vir et vir natus est in ea, et ipse conservat eam (civitatem sanctam) Altissimus.

Versus 6[us] : Dominus numerabit in catalogo populos : Iste natus est ibi. — In fine סֶלָה. — Nescio, quo deceptus interpres legit post עַמִּים initium versus sequentis וְשָׂרִים, illudque confundens cum יְשָׂרִים, posuit post populorum : et principum. Quae post עַמִּים

sequuntur : זֶה יֻלַּד־שָׁם ad sensum vertisse videtur : horum, qui fuerunt in ea, LXX τούτων τῶν γεγημένων ἐν αὐτῇ.

Versus 7[us] : Et cantores sicut choream agentes (dicunt) : Omnes fontes mei in te. Confudit interpres מַעְיָנַי fontes mei cum מְעוֹנָה habitatio.

Commentarium.

V. 1. *Fundatio eius* (scil. civitatis Sion, vel potius Iehovae) *in montibus sanctis.* Cum Cantans plenus sit amore huius sanctae civitatis, de ea cantat priusquam eam nominat. Huius civitatis fundatio facta a Deo, cfr. Isai. 54, 11, posita est in montibus a Deo electis, ac propterea sanctis. Hac de causa omnes qui veluti cives in ea inscribuntur, sancti erunt. Sunt haec verba titulus vel superscriptio psalmi. Positus autem videtur hic psalmus post 86, quia evolvit versum nonum eiusdem. Hic ergo, ut claris verbis loquar, sermo est de Ecclesia, quae dicitur fundata super montes ob eius celebritatem et firmitatem. Vos estis lux mundi. Non potest civitas abscondi super montem posita Matth. 5, 14. Non raro comparatur Ecclesia in scriptura cum monte, etiam cum civitate, ex. g. in ps. 48 (47), apud Zach. 2, 5-17 (Vulg. 2, 1-13). Hic utramque similitudinem comprehendens, dicit Cantans Ecclesiam civitatem ob extensionem, fundatam non tantum super montem, sed super montes. Cum explicatione dicta concordat S. Augustinus dicens : « Nihil de illa adhuc dixerat psalmus ; hinc incipit et ait : Fundamenta eius in montibus sanctis. Cuius fundamenta ? Non dubium est quia fundamenta, praesertim in montibus, civitatis alicuius sunt. Raptus ergo Spiritu Sancto civis iste, et multa de amore et desiderio civitatis huius volvens secum, tanquam plura intus apud se meditatus, erupit in hoc, Fundamenta eius in montibus sanctis, quasi iam de illa dixerit aliquid » etc. M. P. l. 37, 1101. — Sequuntur duae strophae septenarum linearum.

I

Prima stropha : Omnes populi ut cives civitatis sanctae Sion inscribuntur.

V. 2. Diligit Iehova portas Sion
Super omnia tabernacula Iacob.
V. 3. Gloriosa praedicantur de te,
Civitas Dei (Elohim). Sela.
V. 4. Memorabo Rahab et Babel ut scientes me.

Ecce Pheleschet et Zor cum Kusch,
Hic natus est ibi.

V. 2. Dicit ergo hic psaltes : Diligit Iehova portas Sion, id est civitatem Sion, prae omnibus habitationibus Iacob, id est, plus quam omnes ceteras civitates terrae sanctae, propterea fixit ibi tabernaculum suum, et ibi capiet initium dominatio sua super omnes gentes. Quam pulchre confirmatur hisce historia de monte Sion usque ad Christum, et praedicitur evectio Sion nationalis in Sionem universalem ! Cfr. 110, 2. 69, 36. 45, 12-17 etc. « Loquitur de civitate quadam quam spiritualiter intelligit, cuius umbra et figura erat illa terrena... Diligit illam spiritualem civitatem super omnia figurata, quibus intimabatur illa civitas semper manens, et semper cœlestis in pace. » S. Aug. 37, 1105.

V. 3. Continuat psaltes loqui de civitate Dei ac si eam intueretur, dicens : Gloriosa praedicantur de te, o civitas Dei ! « Admirabilia quaedam et inopinata sunt quae de te praedicta fuere, et omnem humanam exspectationem transcendunt. Quod vero quae dicta sunt terrestri Sioni nequaquam congruant, sequentia testantur. » Theodoret. 80, 1560. Gaudium de futura gloria sanctae civitatis musica exprimebatur. Vulgata omittit סֶלָה.

V. 4. « In illa civitate, *inquit iam ex persona Dei*, memor ero Rahab, et memor ero Babylonis » etc. S. Aug. 37, 1105. Praedicit ergo hic Deus ipse vocationem gentium. אַזְכִּיר aequat : alta voce praedicabo (Ier. 4, 16) et coram omnibus laudabo (45, 18) ut tales qui me norunt Rahab et Babylonem, et quidem non ex auditu, sed agnitione et experientia. לְ exprimit novum statum in quem constituti proclamantur populi illi antea Deo et regno eius inimici : Ich werde Rahab u. Babel zu meinen Bekennern erklären vel als meine Bekenner ausrufen. Rahab est Aegyptus 98, 10. Isai. 30, 7. 51, 9, regnum mundi in meridie, sicut Babel erat regnum mundi in septentrione. Quod de his duobus regnis dictum est, valet etiam de Philistaea, Tyro et Aethiopia. Quarum terrarum populos Deus, ut ita dicam, indigitans (הִנֵּה), singulos ut suos declarat, quia nati, vel potius renati sunt in sancta civitate Sion, cfr. Isai. c. 13-c. 23. 54, 1-3. 60, 4. 5. 66, 7. « In illa civitate non solus est ille populus Iudaeorum natus ex carne Abrahae, sed ibi omnes gentes, quarum quaedam nominatae sunt, ut omnes intelligantur. » S. Aug. 37, 1105. — Fere idem ac in prima stropha dicitur in secunda, quae tamen etiam nova quaedam continet. —

II

Secunda stropha : Sion mater omnium populorum.

V. 5. Ad Sion autem dicetur :
Hic et hic natus est in ea.
Et ipse conservat eam Eljon (Altissimus).

V. 6. Iehova scribet in catalogo populos :
Hic natus est ibi. Sela.

V. 7. Et cantores sicut choream agentes (dicent) :
Omnes fontes mei in te.

V. 5. Rediens ad fontem post exhibita flumina, dicit Cantor : Ad Sion autem vel de Sion dicetur : Vir et vir, id est, unusquisque (a Deo computantur singuli homines) natus est vel potius renatus est in ea, scilicet in sancta Sion, et Altissimus ipse eam conservat, ita ut cives eius semper augeantur, cives autem populorum ethnicorum minuentur. יְכוֹנְנֶהָ non significat : fundavit eam, sed eam semper firmiorem facit tam interne quam externe, quod fit augendo in fidelibus spiritum Christi et convertendo infideles ad Christum. Attendatur quod Altissimus ipse וְהוּא עֶלְיוֹן hoc facere dicitur. Etiam S. Augustinus considerat in explicatione huius versus Sionem ut matrem populorum credentium, sed etiam Romam, scribens : « Venerunt de Babylone principes, credentes de saeculo principes venerunt ad urbem Romam, quasi caput Babylonis ; non ierunt ad templum Imperatoris, sed ad memoriam Piscatoris... Magna res, magnum gaudium, magna laetitia. Postea venerunt in hanc civitatem oratores ; sed non venirent nisi praecederent piscatores. » M. S. l. 37, 1107. Falso interpretantur diversi hominem in hoc versu de Christo, non intelligentes veritatem hebraicam.

V. 6. Iehova censum habebit, in catalogo scribens numerabit omnes populos, dicens de quovis : hic natus est in Sion, et hic etiam etc. Dies natalis nationis Francorum fuit dies natalis Domini a. 496, dies natalis nationis Anglorum dies natalis Domini anni 597. Eodem anno vel anno sequenti contigit conversio Vissogothorum in Hispania in tertio concilio Toletano, duce S. Leandro etc. Sic paulatim implebit Deus librum civium Sionitarum, librum vitae Isai. 4, 13. Videas inter locos discrepantes.

V. 7. Et cum intraverit plenitudo gentium in Ecclesiam, et cantores et choream agentes dicent : Omnes fontes mei in te. Cantores *sicut* choream agentes aequat : et cantores (musici) et choream

agentes (saltatores), id est, tota congregatio populorum gaudentium. חלל Piel a חול choream agere. Fons hic est symbolum et gratiae et gloriae, ut Isai. 12, 3. Apoc. 22, 1 et 2. Pluralis designat abundantiam, pronomen possessivum primae personae unitatem spiritus. Perfecta hic dicta valent de aeterna beatitudine. Versio latina sat mala est, ut patet.

Concludamus cum sancto Isidoro :

Gloria tibi Patri glorioso,
Et Iesu Christo Redemptori nostro,
Qui tecum regnat cum Spiritu Sancto
Iuge per aevum. Amen.

IX. PS. 72 (71). CANTICUM DE SALOMONE DIVINO.

Πλεῖον Σαλομῶνος ὧδε. Verba Christi apud Mat. 12, 42 et Luc. 11, 32.

Diversis de לִשְׁלֹמֹה, inscriptione huius psalmi, ponderatis sententiis, conclusimus, illud duplicis esse sensus et indicare tum Salomonem terrestrem ut auctorem, tum Salomonem coelestem ut argumentum huius psalmi. Pari modo de Cantico Canticorum, quod etiam in fronte לִשְׁלֹמֹה insignitum est, dicit s. Gregorius Nyssenus, divinum Salomonem quasi per instrumentum per terrenum Salomonem in eo ad nos locutum esse. Vid. Cantic. n. p. 18. Primum evincitur comparatione לִשְׁלֹמֹה cum לדוד in fronte septuaginta quatuor psalmorum, secundum e consensu Patrum et scriptorum antiquorum. Libet ex eis apponere nonnulla ex Theodoreto Cyrensi : « Quod Salomoni, inquit, hic psalmus nequaquam congruat, opinor Iudaeos etiam confiteri, si veritatem dicere voluerint, multo magis fidei alumnos. Primum enim nec Salomo finibus terrae dominatus est, neque ab his qui occidentem et orientem habitant tributum accepit. Deinde cum esset homo, et vixisset tempus naturae congruens, vitae finem accepit, et hunc non gloriosum. Psalmus vero sole et luna antiquiorem eum, qui per prophetiam designatur, ostendit.... Salomo pacificus exponitur..... Et exclamat Paulus, magnus veritatis praeco : « Ipse est pax nostra » (Ephes. 2, 14).... *Eius igitur regnum, et pacem ab ipso allatam, atque gentium salutem hic psalmus vaticinatur* » etc. M. S. gr. 80, 1427 et 1430 [1].

Praeterea cum hic psalmus respectu v. 10 ab Ecclesia praecipue in festo Epiphaniae Domini usurpetur, non dubitamus eum psalmum Epiphaniae Dominicae nuncupare, imprimis cum adventu magorum ad Servatorem magnificae prophetiae de illo in hoc psalmo contentae impleri coeptae sint.

Exhibebimus : I locos discrepantes.
II commentarium perpetuum.

1. Salomonem autem fuisse sapientissimum et inspiratione divina donatum, patet e sacra scriptura et confirmatur a Patribus Ecclesiae. Quod S. Gregor. Thaumaturgus dicit de Ecclesiaste, valet etiam de hoc psalmo : « Τάδε λέγει Σαλομών, ὁ τοῦ Δαβὶδ βασιλέως καὶ προφήτου παῖς, ἁπάσῃ τῇ τοῦ Θεοῦ Ἐκκλησίᾳ, παρὰ πάντας ἀνθρώπους βασιλεὺς ἐντιμότατος, καὶ προφήτης σοφώτατος. Migne S. gr. 10, 988.

I

Sunt nostris diebus plurimi qui linguam hebraicam et studium s. scripturae vilipendunt, sunt tamen et alii, omnino aliter sentientes, ut patet e verbis cuiusdam Anonymi in opere : La Révolution dicto, conscripto a Gaume, T. 12 p. 275 dicentis : « Si le monde veut comme moi redevenir chrétien, qu'il étudie les sources chrétiennes et surtout la Bible et en hébreu. » Quamvis autem huic rei non magna effulgeat spes, dicamus tamen cum s. Laurentio Iustiniani versi ad Crucifixum : Tu es, Domine, spes mea.

Versu 1° habet Vulgata : Psalmus, pro quo nihil adest in hebraico. De לִשְׁלֹמֹה, pro quo Vulg. habet : In Salomonem, videas superius dicta. Cui libet addere sequentia e Tertulliano : « Est et alius Psalmus, inquit, ita incipiens : Deus, iudicium tuum regi da, id est, Christo regnaturo.... Sed et hic psalmus Salomoni canere dicetur. Quae tamen soli competunt Christo, docere non potuerunt, etiam caetera non ad Salomonem, sed ad Christum pertinere? » M. S. l. 2, 525.

Versu 2° secundum Vulg. מִשְׁפָּטֶיךָ non est : iudicium tuum, sed : iudicia tua, id est, summa omnium iurium tuorum. — יָדִין non est : iudicare, sed : iudicet. — עֲנִיֶּיךָ potius est afflictos, humiles, mansuetos, quam pauperes tuos.

V. 3. יִשְׂאוּ non est : suscipiant, sed : proferant, producant, ut Ez. 17, 8. — Item בְּצֶדֶק non est : iustitiam, sed : in iustitia, quod hic aequat : in abundantia, prout scil. exspectari potest a tanto rege, qui est Messias.

Versus 4us : Iudicet afflictos populi, opem praestet filiis egeni et conterat oppressorem.

Versus 5us : Venerentur te cum (Dan. 3, 33) sole (quamdiu sol iste lucebit) et coram luna (quoad subsistat luna) in generationem generationum.

Versus 6us : Descendat sicut pluvia super detonsum (scil. gramen vel pratum, Wiesenschur), sicut stillae irrorantes, irrigatio super terram.

Versus 7us : Floreat in diebus eius iustus, et amplitudo (abundantia) pacis, donec non sit luna.

Versus 8us : Et dominetur a mari ad mare, et a flumine usque ad terminos terrae.

Versu 9° צִיִּים (a צִיָּה siccitas 63, 2) videntur esse ii qui deserta

hæc, tenta et gratia terræ. modum habet. 71. 14. pro quo Vulg. habet *Infuper*. — 22 non est : terram, sed : pulverem.

Versus 10ª. Reges Tarsensis et insularum Europæ munus offerent, reges Arabiæ et Sabæ : *Virga*, donarium afferent.

Versus 11ª in Vulgata *Adorabit* terræ.

Versus 12. 2ª 22 non est : a potente, sed : opem implorantem. Pro ejus Pal. — 22 potius est : afflictum, quam : pauperem. — Et eum qui ei fuisset necessarius, est post non erat ponendum. —

Versus 13 initium : Parcet super attenuatum et pauperem.

Versus 14ª. Ex oppressione et violentia redimet animam eorum, et pretiosus erit sanguis eorum in oculis eius.

Versus 15ª : Et vivet : ille quem rex tuebitur et rex : dabit illi de auro Sabæ et donabit orabit pro eo : rege : semper etc.

Versus 16ª : Sit planities plena frumento in terra : et se extendat super in capite montium, strepitum edat sicut Libanus fructus eius terræ pinsæ agris frumento redundantibus : et florent de civitate sicut fenum terræ.

Versus 17ª : sit in sæcula, permanet nomen eius in æternum coram sole : quando sol durabit, soboleſcat nomen eius, et benedicent sibi in eo omnes gentes, beatificent eum.

Versu 18º his ponendum est : Deus.

Versu 19ª pro repletibus ponatur : replentur, et pro maiestati eius, pro : hæ hæ : sic et sic, vel sic, utique sic.

Versu 20ª pro defecerunt ponatur : completæ sunt vel finiuntur. *et pro laudes orationes.*

Exhibita sic locis discrepantibus, cum iam supra argumentum psalmi verbo Hieronymi subiecerimus, festinemus ad dandum *commentarium* perpetuum.

II

Constat psalmus quinque strophis.

Prima strophe. Propheta fac. Ebrum, regnum Salomonis. id est Messiæ.

V.	1.	Ebrum petula hæ reg. de Et nationum tuum hic regis.
»	2	Iudicet populum tuum in æquitate Et afflictos tuos in iudicio
»	3	Proferant montes pacem populo

Et colles in iustitia.

V. 4. Iudicet afflictos populi,
Salutem afferat filiis pauperis et conterat oppressorem.

Veniat regnum pacis, regnante Messia, summa est huius strophae.

V. 1. Dicendo ad Deum : Elohim da iudicia tua regi, praedicit propheta, Deum infallibiliter hoc facturum esse. Rex autem hic est Messias, teste ipso Targum, dicente : דִּינָךְ לְמַלְכָּא מְשִׁיחָא הַב [1], et Origene, scribente : « Rex Christus, regis Dei Filius. Quapropter ipse regnat, donec omnes inimici subiiciantur ei. Deinde tradet regnum Deo et Patri ». M. S. gr. 12, 1523. Et Eusebio Caesareensi : « Proles igitur Dei est Sapientia et Filius eius unigenitus : deque illo Salomon hanc fundit orationem dicens : Deus, iudicium tuum regi da, scilicet Unigenito verbo tuo ». M. S. gr. 23,794. Petit ergo propheta Deum, ut omnia iura sua cedat Messiae, quod et fecit, teste Christo ipso : « Pater... omne iudicium dedit Filio ». Ioan. 5, 22.

Secunda linea confirmat et ampliat primam hoc sensu : Imo omnem iustitiam, id est, omnem iudicandi potestatem, da Messiae ut filio regis, id est, qui ut rex natus est, qui ut rex venit in mundum. Hic ergo propheta Christum iam in mundo existentem videt. Filius regis autem est ille, qui nativitate, non assumptione, rex est. Christus autem de se ipso attestatus est Pilato eum interroganti : « Ergo rex es tu ?... Tu dicis, quia rex sum ego ». Ioan. 18, 37. — Continuat propheta vota sua pro Messia, dicendo

Versu 2° : Iudicet populum tuum in iustitia et afflictos tuos in iudicio. Desiderat ergo psalmista, ut regnet iustitia et ius fiat iniuste oppressis. Multis in locis Veteris T., praecipue ab Isaia, et etiam a Zacharia et in Cantico Benedictus regnum Messiae ut tempus et dominatio iustitiae et pacis praedicitur et praedicatur. Praecipue celebratur Messias ut princeps qui non respiciat personam, sed omnibus, etiam iniuste oppressis, humilibus, viduis et orphanis, ius tribuat. Quod certe nunquam perfecte fiet in mundo, bene autem fiet in die iudicii novissimi et postea merces pro bonis factis et iniuriis patienter toleratis erit aeterna. Ecclesiae autem est conari, ut idea regni Messianici quantum fieri potest vera evadat, durante iam hac mortalitate. Optime huc faciunt sequentia, scripta a quodam patre apostolico, anonymo in epistola ad Diognetam. « *Ipse vere Deus*, inquit, qui est omnipotens, et omnium conditor, ac invisibilis, *e cœlis veritatem et verbum sanctum* et incomprehensibile hominibus *locavit* et

1. Iudicium tuum regi Messiae da.

confirmavit *in cordibus eorum* (christianorum) : non quemadmodum aliquis coniicere posset, *misso hominibus* ministro aliquo, aut angelo...., sed *ipse opifice et creatore omnium*, quo cœlos condidit, quo mare suis terminis conclusit.... Hunc ad eos misit : an, ut aliquis hominum cogitare posset, tyrannidis exercendae et terrorem incutiendi causa! Minime, sed in clementia, in lenitate, *tamquam rex mittens filium regem misit ; tanquam Deum misit*, tanquam ad homines misit, tanquam servans misit.... Non vides obiectos feris, ut abnegent Dominum, et non vinci? .... Haec non videntur ab homine fieri, haec sunt Dei potentia, haec adventus eius sunt indicia. » Cap. 7. — Tota illa epistola mire describit mutatos hominum mores per Messiae gratiam.

Pergit propheta loqui de eodem argumento

Versu 3°, dicens : Producant montes pacem populo
Et colles in iustitia,

ubi utraque linea idem edicit. Montes et colles hic pro omni terra positi sunt. Sensus est : non tantum campi et planities fertiles, sed universa superficies terrae usque ad culmina montium infructuosa, et haec etiam, proferant pacem, id est, omnia bona, in iustitia, id est, in abundantia, et quidem omni populo. Quod nos inprimis de bonis spiritualibus intelligimus. Quapropter non abs re ducimus, huc apponere verba Venantii Fortunati ex hymno de nativitate Domini :

« Adam vetus quod polluit
Adam novus hoc abluit ;
Tumens quod ille dejicit,
Humillimus hic erigit.
Iam nata lux est et salus,
Fugata nox et victa mors ;
Venite gentes, credite :
Deum Maria protulit. »

Versus 4^us^, respondens 2°, dicit :
Iudicet afflictos populi,
Opem ferat filiis pauperis et conterat oppressorem.

Quia misericordia praecipue elucet auxilio miserorum, inopum, pauperum, humilium, afflictorum, propterea Messias inprimis his ius dicere perhibetur eosque omni modo iuvare et non permittere ut ex illo tempore alius alium opprimat. Certo status rerum desideran-

dus, qui tamen tantum in beata aeternitate plene locum habebit. Interdum gemimus et flemus in hac lacrymarum valle. Bene exclamat Thomas Kempensis : « O supernae civitatis mansio beatissima! O dies aeternitatis clarissima ! quam nox non obscurat, sed summa veritas semper irradiat ; dies semper laeta, semper secura et nunquam statum mutans in contraria ! » etc. De Im. Chr. l. 5. b. 48. n. 9. Legatur totum illud caput. —

Secunda stropha : Regnum Messiae sit universale et aeternum.

V. 5. Timeant te cum sole
Et coram luna in generationem generationum.
V. 6. Descendat sicut pluvia super pratum tonsum
Sicut imbres, pluvia copiosa super terram !
V. 7. Floreat in diebus eius iustus,
Et abundantia pacis, donec non sit luna.
V. 8. Et dominetur a mari ad mare
Et a flumine usque ad terminos terrae.

V. 5. Continuatur allocutio ad Elohim, ex qua patet inseparabilis nexus inter cultum Dei et cultum Messiae, sicut etiam ex verbis Salvatoris : « Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem ». Ioan. 5, 23.

Timere significat hic : religionis cultu vereri. Sequentes tres determinationes : cum sole et coram luna et in generationem generationum idem significant, scil. quamdiu mundus hic permanebit. « Mortem Domini annuntiabitis donec veniat ». I Cor. 11, 26.

De fundatione religionis christianae bene scribit s. Clemens Romanus : « Apostoli nobis evangelizarunt a Domino Jesu Christo, Jesus Christus a Deo. Missus igitur est Christus a Deo, et apostoli a Christo...., et certo persuasi per resurrectionem Domini Nostri Jesu Christi, et in fide confirmati per verbum Dei cum Spiritus Sancti plenitudine ac securitate, egressi sunt, annuntiantes adventurum esse regnum Dei » etc. Migne S. gr. 1,291. Audiatur et Tertullianus alloquens Judaeum : « Adspice universas nationes, de voragine erroris... emergentes ad Dominum Deum creatorem et ad Deum Christum eius, et si audes, nega prophetam » etc. M. S. l. 2, 672-673.

V. 6. Tribus similitudinibus hoc in versu beneficia Messiae per religionem christianam describuntur : 1° pluvia cadente super pratum detonsum, 2° guttis imbrium vel roris renovantibus faciem

terrae, 3° pluvia copiosa terrae aridae. Ex omnibus tribus elucet vis fructifera religionis sanctae. Item naturam humanam gratiae Christi esse capacem et per eam perfici. Revera tempus nascentis Ecclesiae fuit ver, in quo florescebant omnes virtutes in genere humano, et semper erat et erit Ecclesia paradisus virtutum.

Ad explicandam primam similitudinem facit Sam. 23, 4., ubi bonus rex comparatur cum pluvia nocturna, quam sequitur splendens sol. Item Isai. 44, 3., ubi Deus consolatur populum suum dicendo : « Effundam aquam super sitientem et flumina super terram aridam ; effundam spiritum meum in posteros tuos, et benignitatem in eos qui a te orientur ». Quocum conferantur Ioan. 7, 38 et Cantic. 4, 15. Item huc ponendum esset totum caput 55 libri 3i de Im. Chr. : De corruptione naturae et efficacia gratiae. Item pulcherrima descriptio vitae primorum christianorum in epistola patris apostolici Anonymi ad Diognetum cc. 5-6.

(Pro secunda similitudine consulatur commentar. n. in ps. 110 ad v. 3. Item desiderat gemens Isaias adventum Messiae verbis : « Rorate cœli desuper et nubes pluant iustum : aperiatur terra et fructuosum sit omne genus salutis, et iustitiam proferat (terra) simul. Ego Iehova creavi eum ». Isai. 45, 8.)

Ad explicandam tertiam similitudinem inprimis facit ps. 63, 2-4 : « Sitiens est tui anima mea, arescit ad te (spectans) anima mea, in terra sicca et fessa sine aqua » etc. Et verba Thomae a Kempis : « Noli avertere faciem tuam a me, noli visitationem tuam prolongare : noli consolationem tuam abstrahere, ne fiat *anima mea sicut terra sine aqua tibi* ». De Im. Chr. l. 3, c. 3. n. 6.

Apte facit ad totum versum explicandum bene nota Antiphona : Quando natus es ineffabiliter ex Virgine, tunc impletae sunt scripturae : sicut pluvia in vellus descendisti, ut salvum faceres genus humanum : te laudamus, Deus noster. רְבִיבִים primo occurrit Deut. 32, 2 ut descendentes super עֵשֶׂב herbam : Regenschauer auf Gras. Non videtur significare stillas vel stillicidia, sed subitaneam, non diu autem durantem pluviam, quae virentia mire refrigerat. Non coniungendum est cum זֶרֶזִיף quod tantum hic occurrit et a Hebrew concordance violent rain significare dicitur. Optime sic pluvia designat gratiam Christi germinare facientem virtutes in prato humanitatis vacuo virtutibus, imbres gratiam virtutes refrigerantem, sarsiph plenitudinem gratiae Christi, virtutes ad perfectionem ducentem tum in singulis hominibus, tum in populis. Quapropter rebibim non inepte comparari possunt cum irroratione, quae etiam

servit ad refrigerandam naturam. Per sarsiph autem intelligere possumus praecipue gratiam, quae tribuit perseverantiam finalem. Secundum dictum distinguimus gratiam in excitantem, refrigerantem et consummantem.

Sic sat explicato hoc versu, accedamus ad *versum* 7^um^ exponendum. Continet hic versus consequentiam ex praecedentis versus pluvia, irroratione et irrigatione, quae pro fine habent, ut floreat iustus et iustitia et pax, denique omne bonum et Deo placitum, donec non sit luna, id est, durante hac mortalitate, quantum fieri potest. Promissio quidem Dei adest, sed forsitan adimpletio abest ob peccata hominum.

Versus 8^us^. Sic dominetur Messias non tantum a mari rubro usque ad mare Tiberiadis, a flumine Euphrate usque ad mare mediterraneum, sed ubique.

« Redde statum Iudaeae, quem Christus Creatoris inveniat, et alium contende venisse. Iam vero quale est, ut per cœlum suum admiserit, quem in terra sua esset interempturus, honestiore et gloriosiore regni sui regione violata, ipsa aula sua et arce calcata ? An hoc magis affectavit ? Plane Deus zelotes, tamen vicit. Erubesce, qui victo Deo credis » etc. Tertullian. M. S. l. 2, 383. —

Regnum revera Messiae se extensurum esse in omnem terram, praedicit.

Stropha tertia.

V. 9. Coram illo se incurvabunt desertorum incolae
Et inimici eius pulverem lingent[1].
V. 10. Reges Tarschisch et insularum munus afferent,
Reges Schebae et Sebae donarium offerent.
V. 11. Et inclinabunt se illi omnes reges,
Omnes gentes servient ei.

V. 9. Per צִיִּים (vide supra) veniunt hic omnes habitantes ad Orientem Palestinae ob immensa deserta Arabiae et Syriae ad Orientem terrae sanctae : per אֹיְבָיו omnes habitantes ad septentrionem, quia inde plerumque veniebant hostes populi Dei,

V. 10. per Tarschisch et insulas Occidens, et per Schebam et Sebam meridies. « Est enim hic magnus, hic Deus virtutum, hic

1. Per « pulverem lingent » possumus intelligere voluntariam et involuntariam submissionem. Cfr. Dominare in medio inimicorum tuorum, ps. 110, v. 2.

Rex omnium seculorum, hic factor omnium. » St. Ildephons in Breviar. in Expectat. B. M. V. Denique

V. 11° incolae quatuor terrae plagarum comprehenduntur. Videsis Mgr Gaume, l'évangélisation apostolique du globe. Praedicitur ergo hic universalitas Ecclesiae, sancta Ecclesia catholica.

« Praedictionis finem videmus, quia non est gens quae Evangelii praedicationem non audierit, sed sunt in singulis qui divinae cognitionis lumen acceperunt. » Theodoret. Cyr. M. S. gr. 80, 1435. « Sic Donati perfidia noscitur esse convicta, qui localem putat Ecclesiam, quam per totum orbem constat esse diffusam. » Cassiodor. M. S. l. 70, 511.

Stropha quarta : Regnum Messiae erit beneficentissimum.

V. 12. Nam eripiet (ab inopia) inopem opem implorantem,
Et afflictum, cui non est adiutor.
V. 13. Ipse extendet protectionem suam super tenuem et inopem,
Et animas inopum salvas faciet.
V. 14. Ex oppressione et violentia redimet animam eorum,
Et pretiosus est sanguis eorum in oculis eius.
V. 15. Et vivet (protectus a rege) et (rex) dabit illi de auro Scheba
Et (donatus) orabit pro eo semper, omni die benedicet eum.

Mirandum non est fore regnum Messianicum universale, nam erit beneficentissimum. Terrestribus cœlestia praedicuntur.

V. 12. Messias liberabit hominem, qui propriis viribus se liberare non posset a peccato. Bonitas Servatoris se extendet ad eos, qui eius implorant gratiam, et ad eos, quos nemo hominum ad eam obtinendam adiuvat. Non necesse erit commendatione humana.

V. 13. Imo praecipue inopum, qui se adiuvare non possunt, servator erit.

V. 14. Redimet hos ab oppressore diabolo, nam valde aestimat animas eorum.

V. 15. Imo eos non tantum libertate, sed etiam pretiosissimis muneribus donabit. Qua de causa liberati semper adhaerebunt tam bono regi eiusque bonitatem exaltabunt. Non convenit nunc Christiano pro Christo orare, bene autem dicet : Sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum. Bene etiam orare possumus pro sacratissimo corde Iesu, ut petitiones eius a Deo semper magis exaudiantur. Cfr. ps. 20 (19).

Valet de hic praedictis verbum s. Hilarii : Nihil est ultra quod melius sit. Et Malachiae prophetae : « Et orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiae, et sanitas in pennis eius : et egredie-mini, et salietis sicut vituli de armento. » 4, 2. Et prophetae Haba-cuc : « Ego autem in Domino gaudebo, et exultatio in Deo Iesu meo.» 3, 8. Conferatur concilii Tridentini Sessione sexta decretum de iustificatione. Cfr. Guéranger, L'année liturgique. Quamvis hic praedicta spiritualiter intelligenda sint, possumus tamen ea etiam interpretari de soluta servitute per religionem christianam et de liberata Ecclesia ab oppressione per potentiam mundi. De qua re consulantur Apocalypsis et historia. Liberté, égalité, fraternité.

Iure merito ergo opus Redemptionis anno ecclesiastico celebra-tur. — Sequitur

Stropha quinta repetitio votorum.

V. 16. Sit planities (plena) frumenti in terra (et se extendat)
usque in caput montium,
Strepitum edat sicut Libanus fructus eius (vide supra),
Et floreant de civitate (cives) sicut foenum terrae.
V. 17. Sit nomen eius in aeternum,
Coram sole sobolescat nomen eius,
Et benedicant se in ipso omnes gentes,
Beatificent eum.

Et hic terrestribus coelestia praedicuntur.

V. 16. Redundet ergo terra frumento ab imis vallibus ad cacu-mina montium et messis illa strepitum edat sicut cedri in monte Libano, et germinent, ut ita dicam, cives ubique terrarum sicut herba. Repleatur ergo tota terra benignitate et gratia Iesu Christi, producat gratia uberrimos fructus, imo fiat tota terra civitas sancta plena civibus sanctis. « Καὶ τὴν πόλιν τὴν ἁγίαν Ἱερουσαλὴμ καινὴν εἶδον καταβαίνουσαν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἀπὸ τοῦ θεοῦ, ἡτοιμασμένην ὡς νύμφην κεκοσμημένην τῷ ἀνδρὶ αὐτῆς. » Apoc. 21, 2.

V. 17. Nomen divini Salomonis, regis pacifici, celebretur in aeternum : quamdiu sol lucebit, sobolescat, id est novam progeniem producat nomen eius (euntes docete omnes gentes, baptizantes eos etc.), et in ipso se benedicant omnes gentes et ipsum beatifi-cent. « Et benedicentur in eo omnes tribus terrae. Ipse enim est de quo ad Abraham Dominus ait : In semine tuo benedicentur omnes gentes (Gen. 26, 4). Quod Apostolus exponit : Non in seminibus,

dixit, quasi in multis, sed quasi in uno, et semine tuo, qui est Christus (Galat. 3, 16). Omnes gentes magnificabunt eum secundum illud : Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi. » S. Bruno Ast. M. S. l. 164, 973.

Consulantur Tertulliani Apologeticus apud M. S. l. t. 1, s. Justini Apologia 1. apud M. S. gr. T. 6.; Hettinger Apologetik, Eusebii Caesar. praeparatio evangelica et demonstratio evangelica; Döllinger, Iudentum u. Heidentum; J. de Maistre, Du Pape; Cappellari, Il triomfo delle Santa Sede e della Chiesa; Guéranger, De la Monarchie pontificale; s. Thomae Aq. Summa Theologiae et Summa contra gentes; Concilii Vaticani Canones et Decreta; s. Augustini de Civitate Dei ; Bossuet, Discours sur l'histoire universelle; Pascal, Pensées sur la religion etc. Audiamus quoque immortalem Pium IX in litteris apostolicis de convocando oecumenico concilio Vaticano dicentem de Ecclesia : « Est columna et firmamentum veritatis, ac cœlestibus ditata thesauris tutum salutis iter, ac verae doctrinae lucem omnibus populis ostendit, et instar navis in altum saeculi hujus ita natat ut, pereunte mundo, omnes quos suscipit, servet illaesos » (s. Max. Serm. 89). »

Sequitur *doxologia* quae non ad psalmum pertinet.

V. 18. Benedictus Iehova Elohim Deus Israël,
Faciens mirabilia solus :
V. 19. Et benedictum nomen gloriae eius in saeculum,
Et repleatur gloria eius omnis terra !
Sic, utique sic fiat !

Occurrit similis doxologia etiam in fine psalmorum 41, 89 et 106, ubi secundum Hebraeos primus, tertius et quartus psalmorum liber clauditur. — Cum verba אָמֵן וְאָמֵן sint confirmatio praecedentis, vertantur sic : sed cum etiam implicent votum ut vota praecedentia impleantur, non male vertuntur γένοιτο, γένοιτο, fiat, fiat. Verba quae sequuntur,

V° 20° : Finem habent orationes David, filii Ieschai, videntur indicare finem antiquioris collectionis psalmorum Davidis, cum hic non conveniant post psalmum Salomonicum quem Davidis psalmi et praecedunt et sequuntur.

Denique legitur in quibusdam editionibus, sed ut titulus sequentis : ספר שלישי liber tertius.

X. PS. 117 (116). CANTICUM OB CONVERSIONEM POPULORUM.

Queritur celeberrimus Bossuet scribens : « On néglige les chefs-d'œuvre (libros sacrae scripturae) pour courir aux nouveautés frivoles ; et les catholiques, plus inexcusables que les autres, ne sont pas les derniers à donner dans ce travers. A cause de cela ils restent sans réponse devant les ignorants outrages que la fausse science prodigue à leur foi, et ils se font justement mépriser par des adversaires sur lesquels ils auraient toute supériorité s'ils apprenaient à se servir des armes qu'ils ont en leur main. » Discours sur l'h. u. Quo nos lectores ad studium psalmorum excitare sperantes, pergimus ad explicandum brevissimum inter psalmos.

Psalmus hic, forsitan eidem poëtae et tempori ac praecedens (116) attribuendus, invitat omnes gentes ad laudandum Iehovam et propterea ab Apostolo Paulo Rom. 15, 11 ut prophetia de vocatione gentium allegatur. Revera est Canticum gratiarum ob conversas gentes ad religionem Christianam. Vocatur propter brevitatem a Cassiodoro psalmorum quasi punctum, quia sicut punctum primum elementum est omnium figurarum geometriae, sic vocatio gentium praecipuum est argumentum multorum psalmorum messianicorum. Quo sensu scripsit S. Athanasius : « Non loquitur psalmus Hebraeis qui aures obstrinxerunt, sed gentibus. » M. S. gr. 27, 1167.

V. 1. Laudate Iehovam omnes gentes,
Laudate eum omnes populi.
V. 2. Quoniam confirmata est super nos gratia eius
Et veritas Iehovae manet in aeternum.
Hallelu-Iah !

אֻמִּים populi (aramaice אֻמַּיָּא Dan. 3, 4. Esdr. 4, 10) tantum hic in Biblia occurrit, alibi invenitur pro eo אֻמּוֹת et לְאֻמִּים. Mutatio גּוֹיִם sine articulo cum הָאֻמִּים edicit, omnes gentes et nationes sine exceptione ad laudem Dei vocari. Quod magnum miraculum gratia Dei antiquitus promissa et tempore definito effundenda patrabit. Kimchi ipse fatetur, hunc psalmum ad tempus Messiae spectare. Bene inscribit D. Calmetius argumentum psalmi hisce verbis : « Psalmista nationes omnes invitat ad celebrandam Dei misericor-

diam eiusque in promissis explendis fidem. » Quo sensu iam Eusebius Caesar. scripserat. « Hic itaque sermo gentes omnes alienigenas et peregrinas ad laudem Dei provocat ; deindeque a gentibus populos distinguens ait : Laudate eum omnes populi. Discrimen autem intelliges, si attenderis prophetiae apud Zachariam dicenti : « Gaude et exsulta, filia Sion : ecce ego venio et habitabo in medio tui, dicit Dominus. Et confugient gentes multae ad Dominum, et erunt in populum, et ego ero eis in Deum. » (2, 10. 11). Quando enim gentes erant, nondum erant populus eius ; a priori autem vita conversae, ac per lavacrum regenerationis mysteriorum Dei participes effectae, eius populi evadunt. Quod ad hanc usque diem per universum orbem impletur, cum infiniti populi, quasi in choro distributi, Deum prophetarum, qui penes Hebraeos erant, hymnis celebrent, atque easdem lectiones, disciplinas et dogmata edoceantur. Haec igitur, quae ipsis oculis conspicimus, non aliter quam per solam Salvatoris virtutem in toto gentium orbe constituta sunt. » M. P. gr. 23, 1362. B. Carolus Spinola cum sociis martyrium subiturus die 10 Sept. 1622 hunc psalmum intonuit, dignum viris apostolicis canticum.

XI. PS. 20 (19). CANTICUM PRECATORIUM UT DEUS EXAUDIAT COR IESU.

Voilà ce cœur qui a tant aimé les hommes.
Semper vivens ad interpellandum pro nobis.

Πάντοτε ζῶν εἰς τὸ ἐντυγχάνειν ὑπὲρ αὐτῶν. Hebr. 7, 25.

Si comparamus hunc psalmum cum sequente, facile intelligimus, hunc esse orationem pro rege, in bellum profecturo, sequentem gratiarum actionem pro obtenta regis victoria. Quisnam autem est ille rex, de quo his in psalmis agitur? Novi eum Davidem, Synagoga et Ecclesia Messiam esse affirmant. Cum insuper hi psalmi revera Messiae multo melius quam Davidi conveniant, nos non haesitamus, eos pro mere messianicis accipere.

Accurate autem hunc psalmum examinantes, videmus eum convenire Christo accedenti ad passionem suam sacratissimam. Bene propterea dicit s. Hier. : « Istum psalmum Propheta in persona Ecclesiae canit de Christo. » M. S. l. 164, 759. Multo melius autem s. Bruno Ast. : « *Christo Domino nostro Propheta loquitur, et ipsam illius divinitatem pro eiusdem ipsius humanitate interpellat. Exaudiat, inquit, Dominus... in tempore passionis.* » M. S. l. 164, 761. Optime etiam s. Bruno Carthusianus scribit : « Propheta praevidens Christum regem nostrum cum pro nobis bellaturus sit contra diabolum, et sacerdotem etiam nostrum esse futurum, cum pro nobis corpus et animam Deo sit in cruce oblaturus, orat Deum Patrem pro eo. » M. S. l. 152, 713. Et Petrus Lombardus sequens s. Augustinum : « Hic agit propheta de Christo, quasi de sacerdote immolaturo et rege pugnaturo. » M. S. l. 191, 215. Et Arnobius Iunior : « Christo, ait, eunti ad crucem dicit Ecclesia : Exaudiat te Dominus in die tribulationis. Homini utique qui se obtulit redemptionem pro omnibus : Holocaustum, inquit, tuum pingue fiat, quod in altari crucis offers » etc. Migne S. l. 53, 350. Consentimus ergo his sanctis Doctoribus dicentes, hunc psalmum esse orationem pro Christo accedente ad sacratissimam passionem suam. Sed valet pro omni tempore usque ad finem seculi, cum Christus sacrificium crucis in ss. Missae Sacrificio continuet usque in finem saeculorum.

I. *Loci discrepantes.*

V. 1. De inscriptionibus videas ad initium psalmi 19 dicta.

Unicuique qui forsitan opus nostrum in secernendis et proponendis locis discrepantibus non tantum superfluum, sed etiam nocivum existimaret, ac si scilicet detraheret auctoritati Vulgatae, ruminandam commendamus propositionem in Ubaldi introductione in s. Scripturam vol. 3° pag. 156-165, quam posuimus in nota paginae 122. Pergamus ergo in investigandis locis discrepantibus.

V. 2. יְשַׂגֶּבְךָ non est protegat, sed exaltet te, id est, in tuto te collocet, tanquam in locum altum aut in praecelsam rupem, quo vis hostilis pertingere nequeat, cfr. 18, 3. 34.

V. 3. יִסְעָדֶךָּ non est tueatur, sed suffulciat te.

V. 4. מִנְחֹתֶיךָ est pluralis, pro quo Vulg. habet sacrificii tui. Alias in Vulgata pro מִנְחָה ponitur oblatio. Optime convenit hic pluralis de repetitione sacrificii eucharistici. De מִנְחָה sacrificio farreo, quod libis oleo adspersis additoque thure constabat, vid. Lev. c. 2. — Insuper יְדַשְּׁנָה non est Niphal pingue fiat, sed Piel pingue facere, ut 23, 5. Pro cohortativo âh habet verbum per exceptionem in 1. persona obtusiorem exitum eh, ut 1. persona I Sam. 28, 15. Omittit Vulgata סֶלָה.

V. 5. יְמַלֵּא non est : confirmet, sed : impleat, optato eventu secundet.

V. 6. נְדַגְּלָה aequat vexillum ventilare in signum laetitiae, a דֶּגֶל cfr. Cantic. 2, 4. LXX legentes נְגַדְּלָה verterunt μεγαλυνθησόμεθα magnificabimur.

V. 7. Finis versus secundum veritatem hebraicam sic vertatur: Potentiis salutis dexterae suae, id est, potentibus factis dexterae suae, exaudiet scilicet Iehova Unctum suum.

V. 8. נַזְכִּיר cum בְּ non significat invocare, sed laudare.

V. 9. כָּרְעוּ non significat : obligati sunt, συνεποδίσθησαν, sed : incurvati sunt, ut habet etiam s. Hier.

V. 10. LXX et Vulgata הַמֶּלֶךְ dependere faciunt a הוֹשִׁיעָה et vertunt : Domine, salvum fac regem, at masorethae, qui voci הוֹשִׁיעָה accentum Athnach supposuerunt, ita iubent distinguere et vertere : Iehova, da salutem ! Rex exaudiat nos, quo oratio in fine etiam ad Messiam dirigitur.

Examinemus nunc sensum et contextum.

II

Argumentum psalmi est oratio prophetae ex persona totius ecclesiae triumphantis, purgantis et militantis tempore quo accessurus erat Christus ad sacratissimam suam passionem, ut tribuat illi Deus felicissimum exitum. Vel adhuc brevius et enucleatius : *Oratio universae creaturae ad Cor sacratissimum Iesu, ut omnia desideria omnium creaturarum Deo Patri exaudienda praesentet.* Cor Iesu quidem realiter tantum a tempore formationis eiusdem in utero Ssmae Virginis Immaculatae, in mente Dei autem ab aeterno extat. *Constat psalmus duabus partibus, in quarum prima abundat oratio, in secunda praenuntiatur victoria.*

Prima pars tres habet strophas.

Prima stropha : Auxilietur Iehova Messiae.

V. 2. Exaudiat te Iehova tempore angustiae,
Te in edito collocet nomen Dei Iacob!

V. 3. Mittat tibi auxilium e sancto,
Et e Sion fulciat te !

V. 2. Non audens haec sublimia verba proprio Marte explicare, appono ea quae super ea s. Bruno Ast. scripta reliquit, quae supra iam tetigimus, quae autem hic fusius apponam. « Christo Domino Nostro, inquit, Propheta loquitur, et ipsam illius divinitatem pro eiusdem ipsius humanitate interpellat. *Exaudiat*, inquit, Dominus, qui in te est, qui secundum humanitatem tibi Dominus est. Quando? *In die tribulationis*[1], hoc est in tempore passionis *protegat te nomen Dei Iacob.* Qui modo indigne satis tantam persecutionem pateris a filiis Iacob. Non cognoscunt nomen tuum, non credunt te illum esse, qui quondam Moysi interroganti, quod tibi nomen esset, respondit : Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Iacob, hoc est nomen meum (Exod. 3, 6). Ille igitur te protegat, cuius nomen hoc est. Quod nihil aliud est dicere, nisi tu ipse protege te ipsum, quoniam tu ipse, qui secundum divinitatem es Deus Iacob, modo secundum humanitatem interficieris a filiis Iacob. » M. S. l. 164, 761. Optime etiam dicit s. Bruno Carthus. : « *Exaudiat te, o Christe*, id est sic ut impetres audiat te Dominus, Pater vel Trinitas orantem pro te et membris. *In die tribulationis*, id est in tempore passionis, oraturum scilicet et affectione et verbis et obedien-

1. Dies tribulationis pro Christo usque in finem seculi perdurat. Nam quamvis ille impassibilis sit, tamen non potest non sentire dolores, quibus eum afficiunt peccatores, eum rursum crucifigentes sibimetipsis et ostentui habentes. Hebr. 6, 6.

tia, ut in sequentibus exponetur. Dico, *exaudiat*, in hoc scilicet. *Protegat te* pro nobis in passione pugnaturum, ne cedas. Et *nomen Dei Iacob* sit inde causa, id est hoc quod quaeris magnificare nomen Patris, quem Iacob Deum reputat... Cum autem orat ut pugnans pro nobis protegatur, eum *regem* inducit : regum enim est pro sui regni salute pugnare. » M. S. l. 152, 713-714. Sine dubio autem hic Deus a Iacob vocatur, quia hic luctans cum Deo vicit, unde nomen Israël (victor Dei) accepit (Gen. 32, 25-33). Pari modo optat hic sancta concio Orantium, ut sublata per Messiam ira Dei, adducatur iustitia et pax universa et sempiterna. Quo versu secundo sat explicato, accedamus ad 3^um^.

V. 3. Continuatur inceptum argumentum aliis verbis. « *Mittat* id est det *tibi auxilium*. Quod est dicere : « Sit auxiliator ut mortem et diabolum vincas. » S. Bruno Carthus. 152, 714. *De Sancto* aequat de Sancto Sanctorum, ubi Deus super arcam in nebula habitabat inter populum suum. Et cum arca foederis tempore Davidis iam esset in monte Sion, dicit hic propheta : Et *de Sion* fulciat te. Orat propheta ita ut decebat orare tempore Theocratiae.

Non tantum orat propheta, ut Deus auxilietur Christo patienti, sed etiam ut quam benignissime accipiat sacrificium eius, in

Secunda stropha. Memor sit Deus omnium oblationum tuarum et exaudiat omnia desideria cordis tui.

V. 4. Memor sit Iehova omnium oblationum tuarum
Et holocaustum tuum pingue faciat.
V. 5. Tribuat tibi secundum Cor tuum
Et omne consilium tuum adimpleat.

Verba aurea.

V. 4. Convenientissime loquitur hic propheta primo loco de מִנְחָה, sacrificio incruento, quia Christus sacrificium eucharisticum instituit, priusquam pateretur. Pluralis מִנְחֹת autem intelligendus est de repetitione huius sacrificii, et holocaustum de sacrificio Crucis. « *Memor sit Dominus omnis sacrificii tui, et holocaustum tuum pingue fiat*. Ipse (Christus) est enim sacerdos magnus secundum ordinem Melchisedech, qui admirabili potentia panem et vinum in sui corporis et sanguinis substantiam vertit, suisque discipulis dedit, dicens eis : Accipite, et comedite : hoc est corpus meum : et hic est calix novi testamenti in meo sanguine (Matth. 26, 26). Altera vero die postquam hoc fecit, se ipsum in ara crucis pro nobis immolavit ; et tunc quidem fecit illud pingue et suave, et Deo

acceptabile holocaustum, quo primum et originale peccatum deletum est, et humanum genus gratiae Dei reconciliatum est. Huius autem holocausti odore suavissimo et coelum et terra repleta est, ut merito de ipso dicatur : Odoratus est Dominus odorem suavitatis (Gen. 8, 21). Et hoc quidem holocaustum omnia illa holocausta significabant, quae a patriarchis et prophetis ab ipso mundi initio immolata sunt. » S. Bruno Ast. M. S. l. 164, 761. « Sacrificium Ecclesiae praevidebat propheta per Spiritum Sanctum, quae offert non sacrificium pecudum, sed corporis et sanguinis Christi. » Petrus Lombard. M. S. l. 191, 217. « *Omnis sacrificii tui*, id est illius oblationis, quae quotidie fit in altari. Omnis ideo dicit, quia licet unum sit, tamen in infinitis locis idem fit. » St. Haymo. M. S. l. 116, 258. — Convenientissime hic musica concrepat ad exprimendam abundantiam affectuum. Continuat propheta

Versu 5° optare Christo, ut Deus ei omnia tribuat quae cupit cor suum et ut omne consilium eius adimpleat. Quid autem non desideraret sacratissimum Cor Iesu pro salute hominum ? Videmus ex hoc loco, devotionem ad sacratissimum Cor Iesu non tantum b. Margarithae Alacoque, sed iam s. Davidi revelatam esse. Audiamus effata Sanctorum :

« *Tribuat tibi Dominus secundum cor tuum, et omne consilium tuum confirmet*. Desiderium namque cordis eius et consilium hoc fuit, ut pro salute nostra moreretur et resurgeret, coelos ascenderet et Spiritum Paracletum suis discipulis mitteret, quo mundum illuminaret et ad se converteret. Hoc autem consilium et desiderium, sicut ante multum tempus propheta oraverat, ipso Domino volente et disponente iam completum est. » S. Bruno Ast. M. S. l. 164, 761-762.

« *Tribuat tibi secundum cor tuum*, id est quidquid cor tuum desiderabit, id est resurgere et homines salvare. Et hoc... ideo sic ponit, ut ex nimia affectione ostendat non solummodo sua obedientia, sed etiam pro nobis bona cordis affectione oraturum. Et cum non solum sis inde habiturus qualemcumque cordis affectionem, sed affectionem cum summis et ineffabilibus consiliis disponendam, *omne consilium tuum confirmet*, id est omnia consilia tua firma faciat et efficacia. » S. Bruno Carthus. M. S. l. 152, 714.

« Quando prophetavit, et prophetando oravit David sic dicens tibi, Christe : *Tribuat tibi secundum cor tuum, et omne consilium tuum confirmet*. Subauditur : Deus Pater. Et nos... tamen in nobis et aliis adhuc sentimus magnam discrepantiam cordis nostri

a corde Christi... Rogamus... ergo : Tribuat tibi secundum cor tuum esse cor nostrum. » Gerhohus M. S. l. 193, 971. Activitatem et vim impetratoriam sacratissimi Cordis Iesu, quando incepit et quantum se extendit, optime comprehendit Ecclesia hymno illo mellifluo incipiente : Auctor beate saeculi in festo eiusdem sacratissimi Cordis.

Tertia stropha ponitur laetitia orantium de adimpletione praedicti.

V. 6. Laetabimur tunc de salute tua
Et in nomine Dei nostri vexillum ventilabimus.
Impleat Iehova omnes petitiones tuas!

Vere verba gaudiosa.

Ecclesia praecipue tempore paschali de victoria Christi et nostra gaudet :

Victor surgit de funere,
Salus aequat victoria.

Secunda linea versus praecipue adimpletur veneratione s. Crucis :

Vexilla regis prodeunt.

Tertiam lineam imprimis adimpleri satagamus veneratione sacratissimi Cordis Jesu :

Cor fida spes mortalium.

Continuatur argumentum gaudiosum in *secunda parte* psalmi, quae constat duobus tetrastichiis et uno tristichio. Agit haec pars de victoria Christi vel regni Dei de regno mundi.

Quarta stropha. Certitudo exauditionis.

V. 7. Nunc cognosco,
Salvum fecisse Iehovam Christum suum,
Exaudire illum de cœlo sancto suo
Potentiis salutis dexterae suae.

Propheta in visione opus redemptionis nunc iam adimpletum, nunc adhuc adimpletum iri videt, et propterea dicit : Salvum fecit Iehova Christum suum, et mox postea : Exaudiet illum. Vel possunt etim prima intelligi de glorificatione Christi peracta, sequentia de oratione Christi pro salute hominum. Repetamus cum Gerhoho : Tribuat tibi, o Iesu, Deus esse cor nostrum secundum

cor tuum. Facit huc etiam precatio S. Gertrudis ad Christum : Domine, aperi mihi cor tuum, tam amatum, ut asylum salutis : cor meum non amplius habeo, sed tu illud sustulisti et in te conservas ». Exercit. V, 1. Praecipue attendatur ad עַתָּה יָדַעְתִּי, quo Propheta se mira vidisse testatur.

Quomodo Deus hic praedicta adimpleverit et adhuc adimpleturus sit, ostendit historia populi Dei a tempore prophetiae usque ad finem seculorum, imo omnia quae Deus fecit a creatione mundi et faciet usque ad finem mundi ad redimendos et sanctificandos homines et angelos, et quae hi virtute divina mira patrarunt. — Describit propheta nunc in

Stropha quinta laudem regni mundi et regni Dei.

V. 8. Hi currus et hi equos,
Nos autem nomen Iehovae Dei nostri laudamus,
V. 9. Ipsi incurvati sunt et ceciderunt,
Nos autem surreximus et erectos nos tenemus.

Verbo : Mundus fidit rebus mundanis, Ecclesia auxilio Dei. Saepe regnum mundi regnum Dei devictum putat, quod tamen iterum se eriget et victoria finali cursum rerum humanarum claudet. Sic ex. g. Ecclesia a multis credebatur interiisse Pio VI, sed resurrexit Pio VII.

Qui bibit hoc vinum scripturae saltibus altis
Venatur, reperit consequiturque Iesum.
Aegidius Parisiensis apud Migne. S. l. 212, 44.

« Ipsa rerum experientia, argumentum sane fuerit quid in rebus praestantius sit. At enim inimici tui, equis et curribus confidentes, praepediti corruent perinde atque Pharao qui in mari rubro demersus est. Nos autem nomine Domini Dei nostri instructi et armati... erigemur... Idcirco ita Simeon de ipso loquitur : Ecce positus est hic in ruinam et resurrectionem multorum (Luc. 2, 34) » etc. Eusebius Caesar. S. gr. 23, 198[1].

Claudit propheta

1. Legitur in Breviario Benedictino die 30. Ianuarii de s. Adelelmo : « Per vada Tagi prope Toletum, cum regius esset exercitus traiiciendus, nullis, vel qui equis valentibus vehebantur, fluminis aestui, ripas ex solutis nivibus occupantis, satis fidentibus, Adelelmus debili asello insidens, pronuntiato ex psalmis oraculo : Hi in curribus, et hi in equis, nos autem in Nomine Domini ; undarum globos cum omnium stupore tranavit. »

Stropha sexta psalmum oratione ad Deum et ad Christum Regem. Quam cum s. Hieronymo vertimus.

V. 10. Domine (Jehova), salva :
Rex exaudiet nos
In die qua invocaverimus eum.

Ad quam explicandam apponimus stropham ex officio ecclesiastico :

Praesta, Pater piissime,
Patrique compar unice,
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne seculum. Amen.

XII. PS. 21 (20). CANTICUM DE MESSIA REGE A MORTE RESUSCITATO, FUTURO VICTORE DE OMNIBUS INIMICIS SUIS.

הֲבִינֵנִי

Da mihi intellectum.

Libet in principio expositionis huius psalmi ponere nonnulla e magno encomio Magni Basilii de psalmorum libro. « Psalmorum liber, inquit, utilitatem ex omnibus (s. scripturae libris) complectitur: vaticinatur futura, historiae mentionem facit, legem vitae sancit, admonet quae sunt facienda, et in summa, commune promptuarium est bonarum doctrinarum. » Et inferius de usu psalmorum facta a fidelibus dicit : « Psalmorum oracula et domi canunt et in foro circumferunt. » Quod non valet de nostris diebus. Et paulo post : « *Hic inest theologia perfecta, praedictio adventus Christi per carnem, minae iudicii*, resurrectionis spes, suppliciorum timor, promissiones gloriae, mysteriorum revelationes. *Omnia velut in magno quodam ac communi promptuario, in psalmorum libro reposita sunt.* » In princip. 1. ps. Quibus verbis magni Basilii confortati, accedamus ad exponendum psalmum 21 (20), qui forsitan motum accepit a historia Davidis, sed mere messianicus est. *Est enim, ut accuratius dicamus, congratulatio cum Christo de gloriosa resurrectione sua et de futuris victoriis de omnibus inimicis suis.* — Discutiamus locos discrepantes.

I

V. 1. De inscriptionibus videas ad ps. 19 dicta.

V. 2. Omittit Vulgata מַה. Pro יָגִיל legendum est יָגִיל.

V. 3. Ἁπάξ λεγόμενον אֲרֻשַׁת est petitio, δέησις LXX, non voluntas, estque accusativus dependens a בִּלְתַּעֲתָּ non renuisti, ita ut versio non fraudasti eum approbari non possit. Item omittit Vulg. in fine huius v. סֶלָה.

V. 4. תְּקַדְּמֵנּוּ בִּרְכוֹת טוֹב aequat obviam ei feres benedictiones boni, non : praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis, ubi saltem in omitti deberet. קִדְּמָ hic duplice accusativo constructum est ad similitudinem verborum quae aliquem aliqua re afficere vel donare significant. — פָּז non est lapis pretiosus, sed aurum purissimum, ut Cantic. 5, 11. 15. Iob 28, 17 et alibi.

V. 5. In Vulgata abundat et ante tribuisti, et ponenda est virgula post ei, quia ut primum obiectum verbi tribuisti subintelligenda est vita, cuius metaphrasis אֹרֶךְ וגו sunt.

V. 7. תְּשִׁיתֵהוּ melius quam dabis ad literam verteretur. בְּרָכוֹת est pluralis ut v. 4.

V. 9. Duo futura sunt indicativi, non optativi, sicut et futura sequentium versuum, quae et Vulgata indicative vertit.

V. 10. יְבַלְּעֵם aequat absorbebit, non conturbabit eos.

V. 12. Declinare mala in aliquem locutio ambigua est pro נָטָה רָעָה proprie tendere malum id est insidias, rete etc. — Pro חָשְׁבוּ מְזִמָּה potius diceretur fraudem conceperunt, quam cogitaverunt consilia. — Insuper בַּל־יוּכָלוּ cum forti negatione subiectiva est intransitivum : non praevalebunt, nihil perficient.

V. 13. בְּמֵיתָרֶיךָ aequat nervis, non reliquiis tuis, et תְּכוֹנֵן עַל־פְּנֵיהֶם diriges (tela) in vultus eorum, non praeparabis vultum eorum, quod nullum habere videtur sensum. מֵיתָרִים quidem etiam significare posset reliquias, si derivatur a יָתַר sensu reliquum esse; item תְּכוֹנֵן posset significare : praeparare, ita ut versio Vulgatae dici possit literalis, sed non est conveniens contextui nec sensui.

V. 14. גְּבוּרָה in fine est fortitudo maxima, invincibilis pro quo Vulgata habet virtutes. —

Sic propositis locis discrepantibus, aggrediamur commentarium.

II

Haec congratulatio cum Christo resuscitato duabus constat partibus principalibus, in quarum prima v. 2-7 David videt Christum redivivum gloria a Deo donatum eumdem futurum victorem de omnibus inimicis suis. In secunda parte abundat certa spes de hostibus vincendis v. 8-13. V. 14 est epiphonema.

Utraque pars habet terna tetrastichia, forsitan ad laudem ssmae Trinitatis.

Primum tetrastichium. Annuntiat poëta Deo gaudium Christi ob resurrectionem eius.

V. 2. Iehova, ob fortitudinem tuam laetatur rex
Et de *salute* tua quam vehementer exultat.
V. 3. Desiderium cordis eius tribuisti ei
Et petitionem labiorum eius non renuisti.

Agit propheta de resurrectione Christi, quam iam factam describit. In qua descriptione יִשְׂמַח et יָגִיל perpetuum gaudium Christi de resurrectione sua exprimunt, Nägelsbach, p. 178.b. עז v. 2° est potentia, qua Deus Christum a morte excitavit, בְּיִלְךָ est Christus. Targum habet pro מוֹלְךָ, מְיַלֵּךְ מְשִׁיחָא et Raschi adnotavit : « Nostri antiqui magistri interpretabantur hunc psalmum de Rege Messia, sed ad obviandum schismaticis (christianis) melius de Davide ipso intelligitur. » יְשׁוּעָה hic est resuscitatio. בְּיִ et יָגִיל per crasin contracta et abbreviata sunt. — Attendatur ad fortem negationem subiectivam בַּל non renuisti, imo eam plane exaudisti, cuius exauditionis laetitiam musica exprimebat, ut indicat סֶלָה. Haec enim vox, ut communiter accipitur, respondet termino musico : Forte. Totum tetrastichion ergo spirat laetitiam.

Cum exposito consentiens, scribit s. Bruno Ast. : « Ecce iterum amorem suum et sollicitudinem Propheta ostendit, quam de Salvatoris nostri humanitate corde gestabat. Atque a fine superioris psalmi incipere videtur. Dixerat enim : Domine, salvum fac regem, nunc autem de eodem rege dicit : Domine, in virtute tua laetabitur rex, et de salute tua exultabit vehementer. *In quibus verbis* et suam orationem exauditam esse, et *Christi salvationem, et victoriam apertissime ostendit.* » M. S. l. 164, 762 et 763. Et s. Augustin. : « De Christo canitur ». Et s. Bruno Canthus. : « Hic intendit propheta... ad fidem nostram et contemporaneorum suorum enuntiare, Christum viriliter acturum, et orbem salvaturum, et inimicos iuste et in hoc saeculo et in futuro damnaturum. » M. S. l. 152, 715.

Quae cum sufficiant ad explicandum primum tetrastichium, transeamus ad secundum.

Secundum tetrastichium. Annuntiat propheta Deo gloriam Christo ab ipso datam.

V. 4. Nam tulisti ei obviam benedictiones boni,
Posuisti super caput eius coronam ex auro purissimo.
V. 5. Vitam petiit a te, dedisti ei,
Longitudinem dierum in aeternum et ultra.

Continuat propheta exaltare gloriam resurrectionis Domini. תְּקַדְּמֵנִי et תָּשִׁית describunt momentum in quo gloriosa Christi resurrectio peracta est, Nägelsbach p. 178 c.

Sensus versus 4ⁱ est : Tu, o Deus, cumulasti Christum in die resurrectionis eius gloria immensa, sensus v. 5ⁱ tu dedisti ei vitam

gloriosam sempiternam. Quam gloriosa fuit resurrectio Dominica! Quanta gloria Domini in perpetuas aeternitates! Non sufficit stylus humanus ad eam describendam.

Triumphans pompa nobili
Victor surgit de funere.

« Possumus per coronam ipsam victoriam intelligere. » St. Bruno Ast. 164, 763.

Tertium tetrastichium. Annuntiat propheta Deo Messiam fore benedictionum largitorem in conspectu Dei.

V. 6. Magna est gloria eius salvatione tua,
Gloriam et decorem posuisti super eum.
V. 7. Nam statuisti eum benedictiones in seculum,
Laetifica eum laetitia vultu tuo.

Versu 6° dicit propheta magnam fuisse gloriam Christi resuscitati « morte potentia Dei. Salvatio aequat hic potentia qua Deus suscitavit Christum. Et Christum etiam postmodum omnimoda gloria coronatum iri in coelo et in terra. In v. 7° annuntiantur effectus salutares emanaturi a Christo glorificato in omne genus humanum, et sessio eius ad dexteram Patris. De quo videsis ps. 110 (109). — Primum Futurum hoc versu eumdem sensum habet ac illud v. 5, secundum autem eumdem ac duo v. 2.

In secunda parte abundat certa exspectatio de hostibus vincendis. *Quartum tetrastichium* : Messias vincet inimicos suos.

V. 8. Nam rex sperat in Iehova
Et gratia Altissimi non movebitur.
V. 9. Apprehendet manus tua omnes osores tuos,
Dextera tua apprehendet inimicos tuos.

In versu 8° loquitur propheta de Christo qua capite Ecclesiae, qui ut tale semper sperabit in Iehova et gratia Altissimi non movebitur, quamvis plurimi vincendi sint hostes ad perficiendam sanctificationem hominum.

In versu 9° dirigens orationem ad Christum eum ut vincitorem omnium adversariorum describit. De qua re consulantur psalmi 2 et 110 (109). Apocalypsis etc. [1]. — Continuatur idem argumentum in

1. « Les apôtres et leurs disciples, le rebut du monde, et le néant même à les regarder par les yeux humains, ont prévalu à tous les empereurs et à tout l'empire. Les hommes avaient oublié la création et Dieu l'a renouvelée en tirant de ce néant son

Quinto tetrastichio. Messias inimicos suos puniet et extirpabit.

V. 10. Pones eos ut clibanum ignis tempore aspectus tui
Iehova in ira sua absorbebit eos et devorabit eos ignis.
V. 11. Fructum eorum de terra perdes
Et semen eorum a filiis hominum.

Loquitur hic propheta de interitu inimicorum Regis Messiae, qui sunt simul inimici Iehovae, qui si non evenit in hoc tempore, eveniet in aeternitate damnatis illis inimicis ad ignem aeternum.

Pones eos ut clibanum ignis aequat ardere eos facies adinstar clibani ardentis ; sicut ignis qui combussit Sodomam, procul veluti clibanus videbatur Gen. 19, 28. Is. Malach. 3, 19 clibanus ardens ut figura consumentis irae Dei adhibetur. Attribuitur incensio inimicorum in prima linea versus 10ⁱ aspectui Regis Messiae, sicut aspectui Iehovae attribuitur exinanitio ps. 34, 17. Lev. 20,6. Thren. 4,16 (cfr. ἔχει θεὸς ἔκδικον ὄμμα). Idem quod prima linea versus 10ⁱ Regis Messiae aspectui, attribuitur secunda linea eiusdem versus Iehovae irascenti. Attendatur ad longiores agitatas sententias : Pones eos ut clibanum ignis — et : Dominus in ira absorbebit eos, quas quasi complementum sequuntur breviores et tranquilliores, sed non minus acerbae : tempore aspectus tui, et : et devorabit eos ignis·

Versu 11° praedicitur exterminatio posteritatis inimicorum Christi, פִּרְיָמוֹ aequivalente פְּרִי הַבֶּטֶן Thren. 2, 20. Os. 9, 16.

Iure merito intelligit s. Haymo hic praedicta de interitu Iudaeorum, sed valent etiam de aliis inimicis Messiae praecipue de damnandis malis in die iudicii. Nos autem imitantes dicta a s. Fulgentio de s. Stephano : « Per charitatem Dei saevientibus Judaeis non cessit : per charitatem proximi pro lapidantibus intercessit. Per charitatem arguebat errantes, ut corrigerentur : per charitatem pro lapidantibus orabat, ne punirentur » (in Breviario in festo s. Stephani), caveamus, ne a quovis decipiamur.

In *sexto tetrastichio* indicat propheta causam, cur Messias modo descripto aget cum inimicis suis, quia scilicet contra ipsum conspirarunt.

V. 12. Nam extenderunt contra te malum,
Conceperunt fraudem, nihil perficient.

église. » Bossuet, Discours sur l'hist. un. 2 p. ch. 25. « Porta inferi non pravalebunt adversus eam. » Matth. 16, 18. « Facilius est solem extingui, quam Ecclesiam deleri. » S. Chrysost. Consulatur Cappellari, Il trionfo della Santa Sedee della Chiesa.

V. 13. Nam pones eos in humerum [1],
Nervis tuis diriges (tela) in vultus eorum.

Posita versu 12° malitia inimicorum, ponitur versu 13° eorum punitio. Talis erit, ut evadere non possint. In fugam coniicientur, sed in fugientium faciem tela dirigentur. Et hic alternat perfectum cum futuro. Bene autem ponitur culpa in perfecto, quam sequetur punitio.

V. 12. נְטוּ רָעָה extendere malum metaphora est sumpta ab expansione retium, ut quis capiatur, ut 140, 6. Quod dicitur secunda linea, sed statim additur : nihil perficient. « Nec sufficerat principibus sacerdotum et scribis crucifixisse Dominum Salvatorem, nisi sepulcrum eius custodirent, cohortem a Pilato acciperent, signarentque lapidem, qui vix a multis removeri posset. Et quantum in illis fuit, omnis haec diligentia sepulcri parum erat, nisi manum apponerent resurgenti » etc. S. Paschas. Radbert. M. S. l. 120, 974. Pari modo Christus etiam in membris suis oppugnatur et vincit.

V. 13. שִׁית שָׁכֶם in humerum ponere (facere), non ad portandum, sed ut humerus videatur (du wirst sie wandeln in Kehrum) selectior est modus dicendi pro נָתַן עֹרֶף in dorsum dare 18, 41 cfr. I Sam. 10, 9. Ad תְּכוֹנֵן supplendum est חִצִּים sagittae, tela, sicut alibi ad יָדָה, הִשְׁלִיךְ, הוֹרָה. — כּוֹנֵן חֵץ ut 11, 2 cfr. 7, 14 significat sagittam dirigere. Sagittae vultum fugientium vulnerant, cum persequentes eos praecurrentes, sagittas in eos retorquent. Quo fugient inimici Messiae ab ira eius ?

Quid sum miser tunc dicturus,
Quem patronum rogaturus,
Cum vix iustus sit securus ?

Recordare, Iesu pie,
Quod sum causa tuae viae,
Ne me perdas illa die ! —

Postquam psalmus in 2×3 Tetrastichis duas expendit alas, clauditur ut ita dicam in altum volans et evanescens, sicut Christus in Ascensione sua, disticho

Versu 14°

Exaltare, Iehova, fortitudine tua ;
Cantabimus et psallemus fortitudinem tuam !

1. Id est, in fugam coniicies.

Consulatur commentarium nostrum in ps. 110 (109). Gratias agimus tibi, Deus unus et trine, propter magnam gloriam tuam ! Utinam eam semper magis manifestes ! —

Gloria tibi, Domine,
Qui surrexisti a mortuis,
Cum Patre et Sancto Spiritu
In seculorum secula. Amen.

XIII. PS. 23 (22). CANTICUM IN MESSIAM PASTOREM.

Cum iam patriarcha Iacob Gen. 48, 15 designet Messiam nomine הָאֱלֹהִים הָרֹעֶה, cum item Canticum Canticorum 1, 7 (6), et propheta Zacharias 13, 7 eum ut pastorem exhibeant, cum porro Servator ipse se in evangelio non raro cum pastore comparet seque expresse pastorem nominet, cum denique Paulus eum nuncupet pastorem magnum ovium Hebr. 13, 30., et Petrus pastorem animarum 2, 25 et principem pastorum 5, 4: non possumus dubitare quin יְהוָה רֹעִי in initio psalmi quem tractare aggredimur non sit *designatio Messiae uti Pastoris totusque psalmus effusio cordis gaudiosissima et confidentissima ad Messiam Pastorem*; quem David in mundum venturum, et cum hominibus conversaturum (Baruch 3, 38) praevidebat. Ad dicta illustranda mire facit parabola de bono pastore, proposita a Servatore ipso Ioan. 10, 1-16, et caput 11 libri 4ⁱ de imitatione Christi : Quod corpus Christi et sacra scriptura maxime sint animae fideli necessaria. Merito ergo vacatur hic psalmus מִזְמוֹר, nam est revera carmen sublime et subtile. Parum interest scire, utrum hic psalmus compositus sit a Davide tempore persecutionis Absalomicae vel Saulicae.

Cum dictis consentiens, dicit s. Cyrill. Alex. : « Psalmus quem aggredimur eamdem sententiam continet, quae circa finem praecedentis erat. Nam qui ex ethnicis crediderant, facti Dei docibiles, ut scriptum est (Ioan. 17, 6), edentes et spiritualiter saturati, salutaris cibi largitorem agnoscunt, *pastoremque et nutritorem vocitant* » etc. M. S. gr. 69, 839. Quibus verbis etiam instruimur de *loco huius psalmi in psalterio*. — Ante s. Cyrill. iam s. Athanasius scripserat : « Canitur praesens psalmus ex persona gentium exsultantium, quod Dominus ipse ad pascua illas perduceret. Et sane mysticum enarrant convivium, quod illis *pastor Dominus* apposuit. » M. S. gr. 27, 139. Ad quod observandum est, Davidem hunc psalmum non tantum e persona gentium, sed etiam ex propria persona, denique ex persona omnium qui crediturі et confisuri erant in divinum Pastorem canere de beneficiis a Filio Dei respectu Incarnationis sibi iam collatis et adhuc conferendis. Sub hoc respectu ergo David fuit typus fidelium. Hic psalmus ergo celebrans Messiam Pastorem est mere messianicus. Forsitan a nonnullis vocatur typico-messianicus in quantum David ut pastor ovium videri potest typus Christi, quod

tamen hic in censum non venit. *Quamvis autem hic psalmus praecipue agat de providentia supernaturali, tamen etiam non excludenda est providentia naturalis divini Pastoris pro oviculis suis.* Quod clarius patet, si pensamus, angelum Iehovae dedisse Israëlitis terram promissam.

Coniungentes in hoc psalmo expositionem locorum in quibus discrepat textus hebraicus a latino Vulgatae, cum commentario, accedimus ad hoc proponendum, indicata antea divisione totius psalmi.

Habet hic psalmus tres strophas. In prima loquitur psalmista de facto, in secunda de supposito, in tertia de futuro.

Stropha prima celebrat Iehovam Pastorem de ovicula sua curam gerentem.

V. 1. Iehova est pastor meus (non egeo), nihil mihi deerit :
V. 2. In pascuis herbae cubare me fecit,
Ad aquas quietum aquatum me ducit :
V. 3. Animam meam reducit,
Deducit me in orbitis rectitudinis
Propter nomen suum.

V. 1. Quoties et quam admirabile expertus est regius psaltes David protectionem divini Pastoris ! Quod ruminantes, facile intelligimus, quomodo hic exclamat : Iehova est pastor meus, nihil mihi defuit usque nunc, nihil mihi deerit in futuro. Certo רֹעִי textus hebraici multo expressius et oculum mentis multo magis captans est quam illud Vulgatae : regit me. Econtra illud Vulgatae. Nihil mihi deerit bona versio est pro אֶחְסָר, quamvis non respondeat litterae. Bene Apollinarius Laodicensis :

Οὔ τινός ἀθάνατος μ'ἐπιδευέα πάγχυ νομεύων : Nullius immortalis me egentem, prorsus pascens exclamat. M. S. gr. 33, 1341.

Sic universim gaudiosa fiducia divino Pastore enunciata, loquitur psaltes in duobus sequentibus versibus de specialibus, et quidem

Versu 2° de cibo et potu. Quoad cibum dicit, comparans se cum ovicula, se collocatum esse a divino pastore super pascua herbis abundantia, et quoad potum, se duci aquatum ad aquas quietum. נְאוֹת דֶּשֶׁא sunt pascua vel caespites vivi et teneri, ubi quis commode iacet et quies et fruitio se uniunt. « Congrua ovibus dictio est, Dominus pastor meus est, perstant in hac sermonis metaphora ii qui sub Christo opilione sunt ; adduntque provenientes sibi a pasto-

rali cura utilitates, quas herbam aquamque nuncupant. » St. Cyrill. Alex. M. S. gr. 69, 839-842. מי מנוחות sunt aquae, ubi lassus tranquillam requiem et dulcem refectionem invenit. נהל aquatum ducere. הרביץ cubare facere gregem praecipue meridie in loco umbroso ut defendatur a solis aestu Cantic. 1,7 (6).

Describuntur hic et in s. Cantico beneficia quae praestat divinus pastor fidelibus suis in hac mortali vita. Describuntur fere iisdem verbis beneficia quae praestat beatis in coelis in Apoc. 7, 17 : « Agnus qui in medio throni est reget illos et deducet eos ad vitae fontes aquarum », de quo loco consulatur commentar. n.

Non restringendus mihi videtur, sicut iam dixi, hic locus ad beneficia spiritualia, sed intelligendus de providentia naturali et supernaturali divini pastoris pro oviculis suis ad modum verborum

Foeno jacere pertulit,
Praesepe non abhorruit
Parvoque lacte pastus est
Per quem nec ales esurit.

Certo hoc experti erant praecipue Israëlitae in deserto et experiebantur continuo in terra fluente lacte et melle, quam a divino Pastore in haereditatem acceperant. Quodsi multi fideles non tantam bonitatem divini Pastoris experiantur, videant, ne forte peccata huius rei causa sint, vel forsitan interdum divinus Pastor oviculis suis minora negat ut maiora det. Conferatur oratio feriae sextae post Cineres : Tuere, Domine, populum tuum, et ab omnibus peccatis clementer emunda : quia nulla ei nocebit adversitas, si nulla ei dominetur iniquitas.

Bonus Pastor autem oves suas non tantum recreat et reficit, sed etiam bene dirigit, ut dicitur

Versu 3° : Animam meam reducit,
Deducit me in orbitis rectitudinis,
Propter nomen suum.

Utrumque optime convenit Davidi e tot periculis erepto et a Deo directo in maximis vitae negotiis.

Expressio « *animam reducere* » iam obvenit 19,8 de recreando animo lege divina. Hic usurpata est de erigendo et confortando animo Davidis, fugientis a hostibus, per divinum Pastorem, sicut ps. 63, 2. Revera admiranda est tranquillitas et serenitas regii psaltae his in anfractibus. Amplificatur haec expressio linea secunda :

Deducit me in orbitis rectitudinis. Sicuti scilicet boni pastoris est, gregem non tantum alere et reficere, sed etiam per rectas deducere vias, ne incidat in praecipitia avia faucesque ferarum, ita Iehova deducet Davidem et quemque in se fidentem *in orbitis rectitudinis*, id est, per orbitas non ambagibus sinuatas et intortas, in via complanata, quae nec terret nec fatigat anfractibus hiatibusve asperis, nec laedit senticetis. מַעְגְּלֵי־צֶדֶק sunt orbitae, in quibus rotae plaustrorum volvuntur, cfr. 17, 5. Prov. 4, 11. Vulgata potius sensum quam literam attendens posuit : Deduxit me super *semitas iustitiae*. Cfr. 5, 9, totos psalmos 1 et 119 (118), Sap. 10, 10-13. Quam admirande duxit Deus patriarcham Iacob, Ioseph, Moysen, Daniel ad finem eis destinatum !

An der Zeiten Webstuhl wirken
Menschenkinder, Menschenhände :
Erdenstoff ist Kett und Einschlag,
Doch bei Gott der Fäden Ende.

Hostem repellas longius,
Pacemque dones protinus !
Ductore sic te praevio,
Vitemus omne noxium !

De bonis pastoribus in ecclesia consuli potest Guéranger, L'année liturgique, 27 janvier, saint Jean Chrysostôme.

Praedicta facit Deus propter nomen suum לְמַעַן שְׁמוֹ, id est, propter nominis sui gloriam et famam, ut bonitas sua celebretur, cfr. 79,9. III Reg. 8, 41. Deus non potest non omnia vertere ad suum honorem, quia est summa et unica bonitas, a qua ergo omne bonum et procedere et ad quam omne bonum recedere necesse est.

Secunda stropha celebrat Iehovam Pastorem de peregrino curam agentem, etiam si ei ambulandum esset per loca periculosissima.

V. 4. Etiam si mihi eundum esset per vallem umbrae mortis,
Non timerem malum, si tu mecum esses :
Baculus tuus et scipio tuus, illi me consolarentur.

V. 5. Adornares coram me mensam e regione hostium meorum :
Impinguares oleo caput meum : poculum meum esset ubertas.

Magnam hic exprimit psaltes fiduciam in divino pastore. Dicit : V. 4. Non modo cum per campos patentes et latas planasque

vias Iehova me ducit, securus incedo, sed etiam si per imas valles et luce carentes et periculosas ire deberem, nihil mali timerem, si tu, o Iehova, mecum esses, baculum tuum pro scipione, quo inniterer, mihi praebens. Simul ponuntur שִׁבְטְךָ et מִשְׁעַנְתֶּךָ ad exprimendum, Deum Davidi baculum suum pastoralem (Mich. 7, 14) pro scipione (zur Stütze) praebere. Nos pro phrasi in psalmo diceremus : Baculus tuus, scilicet fulcimen tuum, ipsum me consolaretur. כִּי introducit suppositum, גַּם indicat gradationem, גֵּיא notat locum inter duos montes situm Zach. 14,4. I Sam. 17, 3. יְנַחֲמֻנִי consolarentur me, id est, bono me iuberent esse animo. Hic psalmista non oviculae Iehovae, sicut supra, sed homini per loca periculosa incedenti se comparat, ubi tamen Iehova cum ipso esset et ei baculum suum pastoralem ad se fulciendum porrigeret. Amplificat psalmista idem argumentum

Versu 5°, comparans se hospiti a Iehova ad mensam invitato et laute tractato. נֹכַח ut 31, 20 : hostibus meis videntibus et prae invidia tabescentibus 112 (111), 10. Apoc. 12, 14. רְוָיָה ubertas, ut 66, 12 (quo solo loco praeter hunc occurrit). Cfr. 36, 6. Prov. 11, 25. Isai. 34, 5. Cantic. 1, 12 (11).

Mirabilis protectio Dei pro suis praecipue etiam elucet e 5, 13., ubi Deus a se protectum gratia sua veluti scuto quodam circumdare dicitur, quo inimici repelluntur, et toto psalmo 91 (90). Mire eluxit in tribus pueris in camino ignis. « Iustorum animae in manu Dei sunt et non tanget illos tormentum mortis. Visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace. Et si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est » etc. Sap. 3, 1-4. « Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos ». Luc. 10, 3. — Praestantissimum exemplum hac in re est. D. N. ipse, qui ut bonus pastor vitam suam dedit pro ovibus suis. Videsis com. n. in ps. 16 (15). — In *tertia stropha* psalmista de eo loquitur quod sibi accidet tempore futuro.

V. 6. **Nihil nisi bonum et gratia persequentur me**
Omnibus diebus vitae meae,
Et habitatio mea erit in domo Iehovae
In longitudinem dierum.

Revera admiranda est confidentia regii exulis, perfido persecutore a propriis remoti. Hostibus persequentibus, dicit, nihil nisi bonitatem et gratiam se persequi. Cf. 39, 6. 12. 139, 11. Vulgata omittit אַךְ initii. טוֹב et חֶסֶד ut bonos spiritus a Iehova emissos hostes suos

praeventuros, seque contra eos defensuros dicit, et quidem omnes dies vitae suae (accusativ. temporis). Ita fiet, ut reverti possit ad domum Iehovae et ibi habitare in longitudinem dierum. Pro וְשִׁבְתִּי ponatur וְשֵׁבְתִּי, quo omnis difficultas tollitur. S. Hieroni. pro eo habet : habitatio, LXX : καὶ τὸ κατοικεῖν με ἐν οἴκῳ κυρίου εἰς μακρότητα ἡμερῶν. Cahen : Ma demeure. Quanto amore domus Dei tenebatur pius rex David! Patet hoc non tantum ex hoc psalmo, sed etiam ex psalmis 3, 26 (25), 6-8 et ps. 63 (62). Quantae item pietatis erant Constantinus M., Theodosius M., Carolus M., Alfredus M. etc. ! — Sicut hic pius David, orasse supponi possunt s. Adalhardus, s. Rhabanus, v. Desiderius a Curia, D. Gregorius Chiaramonti, amoti vel amovendi a propriis monasteriis. « Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum » etc. ps. 84 (83). « Le Bénédictin est l'homme de l'Église et le conservateur de ses idées ; mais il est bien plus encore l'homme de Dieu et le conservateur de son culte. » Le but de cet ordre, dit M. Olier « est surtout d'exprimer la religion de Notre-Seigneur Jésus-Christ envers son Père et le culte auguste qu'il lui a rendu sur la terre et qu'il lui rend dans le ciel » etc. La vie contemplative par un religieux chartreux p. 95.

Denique nos cohibere non possumus, quin apponamus aliquid e celebri Derossi de relatione inter textum hebraicum s. scripturae et versiones ! « Demum, inquit, si a Tridentina Synodo Vulgatae authentiam definiente, Hebraicus textus excluditur, multo magis et facilius id de graeca reliquisque orientalibus versionibus dicendum videretur. Et tunc quomodo aut authentica LXX interpretum translatio dici posset, aut orientales Ecclesiae, quae non Vulgata, sed graeca, syriaca, aliave eiusmodi versione utuntur, veras Dei scripturas haberent? » etc. De praecipuis causis etc. p. 85.

CORRIGENDA

Pag. 2. fere in media legatur יִשְׁעֵנִי. Deest ibi punctum sub Iod.
— l. 5. ab imo deest accentus in κλαύσωμεν.
Pag. 3. l. 15. ab imo legatur נַפְשִׁי. Puncta ibi non sunt clara.
— l. 4. ab imo deest punctum in אִם.
Page 4. l. 8. a summo vox רַנְּנָה non sat clare expressa est.
— l. 12. deest punctum post 22.
— l. 15. legatur vertraut pro vestraut.
— l. 26. legatur corde pro corle.
Pag. 5. l. 23. a summo legatur 96 pro 94.
— l. 4 ab imo ponatur » ante sic.
Pag. 7. l. 3. a summo deleatur parvus numerus ? post v. 8. et ponatur post Meriba in eadem linea. In nota ponatur Num. pro Nom.
Pag. 10. l. 13. a summo deest Patach sub Lamed.
Pag. 11. l. 16. a summo deleatur : Videas supra p. 2.
Pag. 18. l. 12. a summo legatur ἄμωμος et μέμψασθαι.
— l. 16. נֶפֶשׁ.
— l. 28. נֶאֱמָנָה.
— l. 3. ab imo legatur מַהְפֻּכוֹת פִּתִּי.
Pag. 21. in citato ex Ecclo separetur בְּיָדוֹ a sequente.
Pag. 28. l. 6. a summo deest accentus in ἑαυτοῖς.
— l. 9. deest Patach sub primo Lamech.
— l. 22. est Lamed defectivus.
Pag. 29. l. 1. deest Patach sub Resch.
— l. 6. deest Segol in לָהֶם.
— l. 7. Iod in אָזְנַיִם.
— l. 10. Patach in צַמַּח.
— l. 17. Iod in מִגְלַת.
— l. 28. legatur יִצְרוּנִי, quod ibi non clare expressum est.
— l. 30. לְעֶזְרָתִי legatur.
Pag. 29. l. ultima deest Zere sub Ajin. Item Lamed defectivus est.
Pag. 32. l. 16. a smmo post Deum secundo ponatur Deum.

Pag. 39. l. 10. ab imo deest Segol in מְיַחֲשַׁבְתִּיךְ.
Pag. 42. l. 3. a summo abundat punctum post Versu 2°.
Pag. 43. l. 8. צלע defective scriptum est.
— l. 15. pro נִכָּה ponatur נְכֵה.
— l. 20 deest punctum in לֹא.
— l. 23. legatur cum pro cun.
— l. 26. deleantur duo puncta super Küchenw.
— l. 30. legatur לְעֵג.
— l. 34. medii pro me lii.
— l. 36. תִּרְאֶה.
Pag. 45. l. 1. ab imo ponatur virgula post 682.
— l. 9. exurgat, quod ibi non clare expressum est.
Pag. 46. l. 12. ab imo ponatur virgula post catur.
Pag. 55. l. 10. excidit h in exhibet.
Pag. 66. fere in media pagina deest punctum in רָשָׁע.
Pag. 67. l. 4. ab imo post Versus 29us ponatur : .
Pag. 75. l. 7. a summo ponatur argenteos pro aureos.
Pag. 77. l. 9. a summo deest punctum in אִתִּי.
Pag. 79. fere in media pagina legatur insurrexerunt. Ibid. post v. 29, legatur induentur.
Pag. 81. fere in media ponatur virgula pro puncto post obtulisse.
Pag. 84. fere in media deleatur punctum post versatur.
Pag. 88. l. 17. a summo ponatur « post (ἐσχόλαζον).
— l. 20. deleatur punctum post dicitur.
Pag. 96. l. 8. a summo deleatur punctum post iuvencus.
Pag. 104. l. 10. a summo male impressum est יָדִי.
Pag. 105. in fine ponatur : 5, 18.
Pag. 113. l. 12. ab imo ponatur sicut pro cicut.
Pag. 115. l. 12. ab imo ponatur : post sortem.
Pag. 117. l. 7. ab imo clarius ponatur עֲנָה.
Pag. 119. l. 4. ab imo ponatur rege pro rel.
Pag. 127. l. 5. ab imo ponatur Ibid. pro Idib.
Pag. 128 in fine. legatur קְדוֹשִׁים.
Pag. 136. l. 14. ab imo deest punctum post דִּבְרוֹ.
Pag. 138. l. 2. a summo legatur צִפּוּנֶךָ.
Pag. 148. l. 6. a summo ponatur ». Item l. 18.
Pag. 154. l. 18. a summo pro ibidem posito legatur הוֹדֶךָ.
Pag. 154. l. 27. deleatur , .
— l. 35. ponatur Schwa sub Mem et Zere sub Resch.

Pag. 155. l. summa legatur תַּכְשִׁילֵהוּ.

Pag. 157. l. summa deleatur spiritus.

Pag. 159. l. 19. a summo ponatur » post dictum est.

Pag. 161. l. 2. deest spiritus in ἀλλήλοις.

— l. 4. ab imo legatur נְסַכְתִּי, ut linea sequente.

Pag. 162. l. 11. ab imo ponatur, pro post II.

Pag. 163. l. 11. ab imo deleatur s in ages.

Pag. 165. l. 18. a summo deest punctum sub primo Iod in litjazzebu et deleatur punctum in Taw.

Pag. 166. l. 14. a summo ponatur virgula post II.

Pag. 167. l. 6. ab imo deest Zere in jaresch.

Pag. 168. l. 11. a summo intercaletur : cum natura divina post autem.

Pag. 169. l. 10. ab imo deest Kamez in arez.

Pag. 170. in secunda linea Notae ponatur post ut supra pro : p. 3, 7. 8.

Pag. 171. l. 7. a summo ponatur punctum post Beth.

Pag. 179. l. 6. a summo deleatur parvus numerus supra praedicitur.

Pag. 181. in prima nota legatur Wolter pro Walter.

Pag. 184. l. 8 ab imo deest punctum super Daleth in Adonai.

Pag. 185. l. 8 ab imo deest Iod sub Daleth in Iadin.

Pag. 197. l. 18. ab imo legatur Annae pro Anna.

Pag. 199. l. 10. ab imo hebraicum debarav non est clare impressum.

Pag. 201. l. 11 ab imo male impressum est in fine lineae.

Pag. 203. l. 6. a summo legatur seufzt pro seufet.

— l. 10. deest punctum in יְהֹ.

— l. 15. spiritus in ὑμνήσαντες non clare patet.

Pag. 204. l. 10 ab imo ponatur : post dignum.

Pag. 205. l. 12 ab imo legatur φυᾷ pro ῥυᾷ.

Pag. 206. l. 17 a summo ponatur in secunda syllaba יִשְׁבּ Patach pro Kamez.

Pag. 210. l. 1. deest punctum supra secundo Daleth.

— ad v. 4. non clare impressum est charbecha.

— ad v. 5. desunt vocalia sub Zelach.

— quarta linea sub zelach ponatur Vulgatae pro Vulgata.

Pag. 211 ad v. 14 deest dagesch in penimah.

— ad v. 16 deest punctum sub Beth in Bismachot.

Pag. 212. l. 1 deest se gol in teboenah.

Pag. 225. l. 15 a summo caret αἶνον accentu.
— in l. ultima deest t in vertit.
Pag. 228. l. 15 ab imo deest virgula ante Rahab.
Pag. 231. l. 11 a summo separetur e a praecedente.
Pag. 234. l. 3 ab imo legatur Diognetum pro Diognetam.
Pag. 240. l. 5 a summo legatur exultabo pro exultatis.
Pag. 249. ultima linea ponatur virgula post Deus.
Pag. 252. l. 4 ab imo deest zere sub Daleth.
Pag. 253. l. 14 a summo deest zere sub Taw techonen.
Pag. 255. l. 13 a summo deest s in laetifices.
— l. ab imo legatur victorem pro vincitorem.
Pag. 256. ponatur virgula in fine secundae lineae.
— item ponatur virgula post aeternitate.
— in ultima linea separetur secunda litera e a sede.

Petitur venia pro aliis erratis.

MACON, PROTAT FRÈRES, IMPRIMEURS

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
BS1445.M4T5 C001
NOVUM COMMENTARIUM IN PSALMOS PARIS
3 0311 00019 7322